GILBERTI IONINI ARUERNI È SOCIETATE IESU...


Gilbert Jonin






NAZIONALE
EMANUE
6
C
21
26








naturæ non artis opus.
φύσεως κίνησις ἔμφυτος καὶ μουσική.
LYRICA
GILBERTI IONINI
Aruerni e Societate
IESV
Ad Illustrissimum &
Reuerendiss. Dominum
D. PETRVM DE FENOVILLET
Montis Pessulani Episcopum.
LVGDVNI
Sumptibus Iacobi Andreæ,
& Matthæi Prost.
M.DC.XXX
Dom. Prof. Rom.

GILBERTI IONINI ARVERNI
è Societate IESV

ODARVM LIBRI IV.
&
EPODON

AD
ILLVSTRISS. ET REVER.
Dominum,
D. PETRVM DE FENOVILLET,
Montis Pessulani Episcopum.



LVGDVNI,
Sumptibus IACOBI, ANDREÆ,
& MATTHÆI PROST.

M. DC. XXX.

ILLVSTmo ET REVmo.
Domino,
D. PETRO DE FENOVILLET
MONTIS PESSVLANI
EPISCOPO.

GILBERTVS IONINVS
è *Societate* IESV. S.

NOVVS hic Libellus, quamuis Romæ natus, ſemilatinus tamen, vrbem tuam, & Colleum Monpelienſe hoſpes ingretur (PRÆSVL AMPLISSIME) ingreditur quidem ſine admiſonali, ſine commendatitijs: auciùs omninò, quàm vel Poëtæ nueniat: niſi ſciret hoc tuæ huinitatis ingenium eſſe, vt aditu minem excludat: & vel eo ipſo

commendabiles eos existimet; qui sibi diffidentes, tui nominis patrocinio commendantur. Artificio quidem munus ignobile, sed materiæ dignitate pretiosum, magnorum quippe optimorúmque virorum memoriâ consecratum, atque insuper tui purpurâ nominis illustre. Neque verò ab amplissimâ, sanctissimáque Præsulis dignitate alienum putaui Poëticum hoc xeniolum, cùm audissem te ab eo pulcherrimo mentis aut ornamento aut oblectamento non abhorrere, in quo scires magnos & dignitatis amplitudine & vitæ sanctimoniâ viros Clementes, Ambrosios, Prudentios, Damascenos, Paulinos, Prosperos, & duo Ecclesiæ præclara sidera Romanum & Nazianzenum Gregorios venerabilem & à sapientiâ & à religione canitiem oblectauisse: & anti-

quissima

quiſſima dignitatum atque pietatis lumina poëſeos vel alienæ, vel etiam ſuæ, non minùs quàm hiſtoriarum operâ æternitati conſecratos. Scio equidem alienâ virtutes tuas luce non egere, quæ in oculis omnium poſitæ, ſuo ſeſe fulgore ſatis produnt. Admirantur omnes eximiam illam dicendi vim mirabili ſuauitate temperatam: & ſcientiarum omnium atque literarum quibuſdam quaſi ſideribus diſtinctam, quæ non adſcita ſtudioſè, ſed ipſa rerum copiâ quodammodo protruſa ſe proferunt. Quod tuorum etiam, hoc eſt antiquæ religionis atque pietatis hoſtium iudicio liquet, qui toties congreſſi tecum, toties à te victi, quanquam inuiti atque reluctantes, non magis argumentis tuis, quàm veritati, quæ talem nacta patronum fuerat, manus dederunt. Neque verò libe-

ralior verborum hactenus quàm operum fuiſti: quippe qui memineris ſupremū illum Antiſtitem, abſolutiſſimum Antiſtitū exemplar, ore gladium viuum, plura ſidera manu circumferre: quæ quaſi totidem fulmina non feriant minùs quàm luceant, penetrent, quàm delectent. Certè vt perpetuum inculpatæ vitæ tenorem ſacris egregiorum operum imaginibus, tãquam teſſerularum emblematis diſtinctum omittam: recens in omnium animis viuit memoria virtutis tuæ immortalitate profectò digniſſima, quæ te ad primam contagioſi morbi ſuſpicionem cum fœdo auræ peſtilentis odore grex tuus afflari iam cœperat, ægritudini peruicaciſſimæ atque periculoſiſſimæ nuper oppoſuit. Vt cùm vrbe audaciſſimum quemque periculi metus expelleret, tu quem tuorum

rum

rum charitas animosiorem effecerat, vrbem repeteres; adeò salutis tuæ negligens, sollicitus alienæ, vt egentissimo cuique manu tuâ cibum stipémque distribueres, quam diribitoris pietas auro ipso quod profusè largiebaris, faceret pretiosiorem. Ita demum summi Pastoris imitatione, non ambitiosiùs deinceps, quàm veriùs iactare poteris, *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Verùm cùm à gloriosis illis ac verè pastoralibus curis inuitum te repugnantémque semouissent aliæ causæ, fortasse in speciem minus ambitiosę, sed reuerà non minùs iustæ, in quibus hoc vnũ iniquius ferebas quod te, vt periculo subtraherent, etiam periclitantibus subtrahebãt. Nunquã tamen etiam cùm abesses, vlli defuisti. Sed vt sol cùm altiùs suprà nos attollitur,

& quasi longiùs recedere videtur, tum lucem ampliorem, æstúmque maiorem efficit. Ita tu de proximo colle sublimis tanquam de speculâ in subiectam vrbem prospiciens, clariores efficacioréſque beneficentiæ tuæ sparsisti radios; vt cùm anteà liberalis in egenos audires, tum verè sparsione illâ diuite tam continenti muneratione superioris munificentiæ memoriam penitus extinxisse videaris. Ea demum sunt, quæ solidam tibi verámque laudem collegerunt; ea quæ tibi memoriam parient apud posteros sempiternam. Neque verò etiam in poësi sum ego tam insanus, hoc vt audeam tibi polliceri (quamquàm vocem veteris illius vsurpare posses non incommodè, Æterna, quæ scripsit, non erunt fortaſsè; ille tamen scripsit tanquam futura.) Hoc equidem mihi persuadeo

ſuadeo fore vt quam æternitatem hæc nomini tuo dare non poſſunt, eam ab eo ipſo accipiant vt me non exiſtimes honori tuo magis, quàm vtilitati meæ conſuluiſſe, dum & publico ſocietatis noſtræ nomine, & priuato grati ſenſu tua in nos beneficia etiam apud exteros poſteróſque profiteor. Nouo itaque & inſolenti gratiarum agendarum ſum vſus genere, qui dum gratiam tibi reddere videor qui repetere non ſoles, nouum à te beneficium accipiam, qui liberaliùs, hoc ipſo quòd antea dederis, largiris iterum: & iuſtiſſimam dandi cauſam exiſtimas, anteà dediſſe.

VALE.

AD EVNDEM.

ODE.

AVARA famæ plus nimio licet
Nec grandiorum prodiga nominum
Parcis iniquè metiatur
Ingenuos titulis honores,
Dispar disertæ Gallia Græciæ,
Iniuriosæ te tamen eximet
Obliuioni, posterisque
Te memori celebrabit æuo
PETRE, eruditi laudibus ingenj
Aureóque linguæ flumine, qui refers
Chrysostomum Francis, & idem
Chrysologum; veterúmque si quid
Narratur auri nomine dignius
Fulsisse. Mores sed magis aureos
Miramur intactos maligno
Debilis inuidiæ veneno:
Proterua quamuis candidioribus
Signare næuum non tamen audeat,
Præsul, tuam tentare famam
Dente nigro niueósque mores.
Facunda Patrum sæcula, & integram
Culpæ indecoræ reddis imaginem;
Nec dignitas ardet serenâ
Fronte minor, placidóque magni

Pastoris

Paſtoris ori mixta ſeueritas,
Pugnare fortis pro timido grege.
Nec porciùs purum loquentis
Ambroſio fluit ore nectar.
Sic flauus auro diuite voluitur
Hermus ſuperbo turbidus alueo;
Sic gemmeo felix lapillos
Indigenas trahit amne Ganges.
Te fulminantem non ſemper Hæreſis
Collo refuſis anguibus horruit
Quæ crine iam languens ſoluto
Semineces agitat ceraſtas.
Qualem obſtinatum corpore caduo
Lernæa peſtis ſenſerat Herculem.
Septena dum clauâ minaci
Colla metit, probibétque flammâ
Fœcunda rurſùm creſcere vulnera
Repullulanti vertice; fertiles
Plagarum hiatus nam maligno
Igne premit ſterilíque tædâ.
Fruſtrà illa multo ſaucia vulnere
Colla antè viſis ſubtrahit ictibus
Fruſtráque ceruicem rotatis
Luminibus moritura iactat.
Namque igne rubram ſtrenua veritas
Dextram per auras dirigit, & locum
Tempúſque ſignat turbulenta
Quo latebras animæ potenti
Tu recludas, quà iugulo imprimas

Fatale

Fatale ferrum. Sed neque mitior
Spumosa anhelantis Megaræ
Sidereâ premit ore tædâ
Zelus cruento murice fulgurans,
Contaminati sanguinis hostium
Suique largus, qui coruscus
Ventilat igneus ipse flammas.
Non his repugnet viribus Hæresis,
Non cæcus error fraudibus impijs
Stipatus, & quidquid malorum
Tartareo vomet orcus antro.
Macte ô decoris, PETRE, *laboribus*
Nam priscum auitis dum reparas decus
Et nomen aris, nomen ipse
Perpetuásque mereris aras.
Sed fallor. Illinc nulla tibi, PETRE,
Speranda laus est: nam pietas, Deo
Manu tuâ quæ pugnat uni,
Ipsa Deo quoque vincet uni.
Inscripta surgent marmora Numini
Ductura victis nomen ab hostibus;
DEO*que* VICTORI *dicata*
Legitimis titulis trophæa.

AD

AD LECTOREM.

SEVERIORIS esset ingenij ac parum musici, à Poëtâ, hoc est ab eo, qui insaniam profiteatur, consilij suscepti rationem exigere: quas enim partes agat consilium in scena furoris? quam ratio personam in theatro sustineat insaniæ? reddere tamen placet, etsi repeti non debeat. Necessitas ab ingenio alioquin & duro & supino, quasi vndam ex pumice, versiculos aliquot extuderat. Incaluit, vt solet, morbus ille & delirandi ad lyram pruritus modicâ illâ confricatione: sed, vt vetus verbum est ac valdè verum, Canis dum properat cæcos parit catulos; quod minimè te monere opus fuerat, cùm in qualibet paginâ festinationis atque supinitatis indicium appareat. Tamen, vt vt sit, frigidulos versus Vulcano commendare non placuit: tu, Lector, si videbitur, honestiùs facies, & iustiùs; &, vt dicam quod res est, etiam lubentiùs. Sin etiam apud te insperatam indulgentiam inuenient, habeo pauca, quæ te monitum

monitum velim. In quibuſdam, quæ veluti ſcopulos, quidam fugiunt eruditi, minus fuiſſe me ſuperſtitioſum fateor, cùm videam Propertium, Ouidium & aliquot alios ea minùs religiosè deuitaſſe, Horatium neglexiſſe penitus, & Græcos identidem vſurpaſſe. Verſus aliqui iuncturas habent duriores, interdum ex induſtriâ, interdum etiam (quid enim fateri pudeat?) ex oſcitantiâ. In dimetiendis recentiorum nominibus, aut aliis etiam, quæ minùs trita ſunt, liberior fui; vt in Ludouico & Lodoico, Ludouiſio, Gabbalis, Iapone quadriſyllabo Græcâ inflexione; Leonardo, & ſi qua ſunt alia, quorum aliqua non ignorabam aliter ab aliis vſurpata eſſe. Verſum vnicum Choriambicum Microcephalum volens feci, cùm dixi: *Feneſtriſque procax omnibus inſidet.* In aliis carminum generibus, in quibus maior libertas eſt, eâ sed modicè ſum vſus. In trophæis Regis Polòniæ, quia factum eſt carmen ad modos muſicos, Ode ſecunda de induſtriâ lege ſoluta eſt, & ad muſicæ ingenium accommodata; non placuit tamen eam mouere loco, vt neque Oden ad famam, quamuis non ſit Horatiana.

Libro

Libro Epodon addidi Scazontes aliquot sine Lyricorum veterum aut recentiorum exemplo: sed neque mensuram carminis neque naturam ab Iambis video multùm discrepare: & , si displicent inter Lyrica, tu silentium impera, silebunt. Pleráque omnia fieri potuerunt aut à diligentiâ, aut à tempore meliora: sed placuit hanc tibi vicariam operam relinquere. In commendandis æui institutíque nostri hominibus me sæpiusculè versatum esse quidam conquerentur; sed cùm absit adulationis vt ratio, ita & suspicio, non pœnitet hac in re paulò liberaliùs Horatij exemplo & meopte ingenio peccasse. Inania poëticorum Deorum & nomina & mysteria, reliquûmque Musarum mundum muliebrem raro adhibui: memineram quippe me Christianum Christianis hæc auribus canere: quibus placere magis existimo pietatem incultam, quàm cultum quaemcunque, qui aliquam impietatis habeat colorem. Vale.

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. GENERALIS.

MVTIVS VITELLESCVS SOCIETATIS IESV Præpositus Generalis.

CVM quatuor Odarum libros, & vnum Epodon Patris Gilberti Ionini noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus vt typis mandentur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 8. Nouembris. 1629.

MVTIVS VITELLESCVS.

Locus Sigilli.

ACVLTAS REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS

Prouinciæ Lugdunensis Societatis IESV.

GO Stephanus Binetus Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi æpositus Prouincialis, iuxta Priuigium eidem Societati à Regibus nristianissimis Henrico III. 10. Maij 33. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. nunc regnante 14. bruarij 1611. concessum quo Bibliolis omnibus prohibetur ne libros ab minibus nostræ Societatis composiabsque Superiorum eius permissioimprimant, permitto Iacobo Prost gdunensi Bibliopolæ, vt opus quod cribitur *Lyrica Gilberti Ionini Aruerni ietatis* IESV, ad sex proximos annos primere, ac liberè diuendere possit. tum Lugduni 2. Septembris 1630.

STEPHANVS BINETVS.

ODARVM LIBER I.

AD VRBANVM VIII. P.M.

ODE I.

HVmani generis parens;
Diuini imperij sorte vicaria,
VRBANE optime, subdito
Quem mũdo & placidis gentibus arbiter
Custodem Deus addidit;
Cui grande ingenium finxit, & arduum
Pectus tantæ animæ capax.
Quanquam, Pieriis quæ tibi frondibus
Frontem laurea cinxerat,
Et vatum facili miscuerat choro,
Cessit grandibus infulis:
Ex quo Roma potens, atque fauentium
Mundo curia cælitum
VRBANVM populis nomen amabile
Terris extulit altiùs.
Curis nobilibus pectus inæstuans,
Terrarumque negotiis
Distentos animos dum modico quies
Solatur breuis otio,
Nunc autem tenui carmine liberam
Vates detineat sine:
Notarum Paphiæ qui rudis artium
Castâ fila mouet manu.

Nec cantus cythara cogit adulteros
Musas dicere virgines;
Nec quos sollicita fronte Modestia,
Inuitusque legat pudor,
Ardentésque genas cautior imbuat
Non iam simplice purpura.
Sed quos nec pietas, nec niuis æmuli
Mores Principis improbent,
VRBANIS resonet si chelis auribus.
Et quos nec Rubor innocens
Nec verso iugulet pollice Castitas.
Quales te tacitus Tybris
Suspensis iuuenem fluctibus audiit
Muto dicere littori:
Dum Iessæa mouens fila disertius,
Facundúmque terens ebur,
Auritis repetis carmina fluctibus
Audita, Isaïcâ fide
Cùm labi immemorem regia falleret
Iordanem, & dubios lyra
Fluctus ire vetans in mare mortuum
Prono sisteret alueo.
At nunc voce refers fallere nesciâ
Cæli oracula gentibus;
Et iurata probat, quod loqueris, fides.

LVDOVICVS XIII.

AD

HÆRESIS EXITIVM NATVS,
Ensem & Sceptrum ab HENRICO
Patre oblatum puerulus attrectat.

ODE II.

COelo propinquum Borboniæ decus
Et cura gentis, cui dedit aureo
Magnum Deus frænare sceptro
Imperium, facilésque dicto
Parêre Gallos, ô melioribus
Æquanda sæclis gloria principum!
O arduum exemplum daturus
Post genitis, LODOICE, Francis!
Cui forte pectus non humilis furor,
Bellíque telis impenetrabilis
Virtus obarmauit; sed implet
Par pietas animum capacem
Versare curas orbis, vt arctiùs
Complexa seruet, quàm salientibus
Adsibilans ægis chelydris,
Aut furiis animosa Gorgon
O dextra Franci nominis hostibus
Iam nota iusto fulmine! ô hæresi
Fatale nomen LVDOICI,
Ac geminos abiturum in axes!
Non ergo vano, te, pater omine
Felicitatis cùm dedit obsidem
Regnis, & adiecit MARIÆ
Nominibus titulum parentis,
Ensem ille Regum Maximus obtulit,
Sceptrúmque nato: Sic patriam indolem,

Verámque virtutem probari
Borboniæ sobolis decebat.
Sic ales alti fulminis arbiter
Lucem magistram consulit, vt genus
Exploret, implumésque nidos
Indicibus probat antè flammis,
Quàm iura magni destinet imperi,
Vagósque Regem dicat in alites,
Aulámque decernat futuro
In populos auium Tyranno.
Ensis paterni fulgure Martio
Perstricta figens lumina, lacrymas
Fletusque natales stitisti,
Tot populis pariture risus.
Notumque cæsis hostibus, & diu
Magnis timendum Regibus, ilicet,
(Vt fama) strinxisti parentis
Impauido priùs ore ferrum;
Tum magna paruâ concutiens manu
Sceptra, & futurus Rex bonus, & bonus
Miles, pij voto parentis
Non trepidus puer annuisti.
Ad prima cùm te sustulit oscula,
Cælóque tollens; Vincat, ait, suos
Factis auos Patremque, famâ
Imperio, pietate vincat.
Vobis sacratum nobile, Cælites,
Seruate pignus; stringat in impios
Ensem rebelles, & vetustas,
Relligio, tibi reddat aras.
Pij secutæ sunt lacrymæ vltimas
Voces parentis; sed placido puer
Et vota confirmare visus,
Et lacrymas prohibere risu.
Ausúsque ferrum stringere, Regius
Ab vsque primis se puer approbat

Vitæ

Vitæ rudimentis ad arma
Natus, ad imperia & triumphos.
Iam tum minantem, perfida, turribus
Horrere dextram debueras tuis
Rupella, formosóque prona
Colla iugo facilis parare.

VATICINIVM DE RVPELLA capienda.

ODE III.

NEc tu Tridentis Pictonici potens
Neptune, vinctus compede regiâ,
Securus audisti, latentis
Cùm caneret tibi vera Proteus.
Prudens futuri: pone silentibus
Terrore ventis, cùm tacitum mare
Mulceret vndas, atque passis
Oceani soboles capillis
Præberet aures attonitas metu,
Et omnis vnà Nereïdum chorus,
Cùm rupibus fatale carmen,
Ac trepidæ loqueretur vndæ.
Regina quondam Santonici maris,
Quæ contumaces littoribus premis
Vndas, & insani tumultum
Oceani, dubiósque vento
Parêre fluctus: At vacuum modo
Futura littus; protinus incolent
Deserta soli saxa Mergi,
Et fulicæ steriles arenas.
Rupella iam-pridem impatiens iugi,
Nouísque semper seditionibus
Nutans, fidem mutare pactam
Mobilior pelagi propinqui

Vento citatis fluctibus, impio
Ex quo prophanis relligionibus
Vrbem sacramento obligasti
Indigetes violare Diuos:
Pulchrúmne tandem seruitium pati, &
Desueta collo vincula libero
Disces, reluctantíque frustrà
Mitte iugum patiere fronte?
Rursúmne clausas Relligio potens
Irrumpet arces? & pietas memor
Redibit, antiquisque reddet
Templa sacris, veterésque ritus?
Fiet, potenti sic Deus annuit
Motâ verendi mole supercili;
Sumptísque tardo pigra gressu
Sæcla iubet properare pennis.
Feras duorum castra priùs licet
Atque arma Regum: scilicet vnico
Hoc lenta seruant LVDOICO
Fata decus, meritámque laurum.
Non ille frustrà turribus arduis,
Non ille denso mœnia milite,
Iactísque Neptunum frementem
Molibus, oceanúmque claudet.
Quòd si proteruæ fræna licentiæ,
Si militari sæuitiæ neget
Laxare mite LVDOICI
Ingenium, placidúmque flecti:
Quamquam pij clementia Principis
Parcet cruori; non tamen & fames
Vltrix maligno deserendum
Hospitium populata rictu.
Qualis Promethei supplicio additi
Fœcunda pœnis viscera lancinans
Fibras renascentes adunco
Distrahit vngue cruentus ales.

Inclusa

Inclusa venis sæuiet; igneas
Accendet imis pectoribus faces,
Viuósque væsano furore
Ingluuies lacerabit artus.
Quas illa strages Tysiphone dabit?
Quæ abominatis funera matribus?
Ah! non semel Rupella, cernes,
Quod Solyme semel vna vidit!
Ergóne matres visceribus sua
Spectante cælo viscera reggerent?
Ah! parce pœnis vltor, vrbi
Vel meritæ grauiora parce.
Hæc antè Proteus. Æquoreis modò
Fluxisse turpes cùm lacrymas videt
Monstris, verecundum profundâ
Oceani caput abdit vndâ
Euersa cœcis asseruit fidem
Rupella dictis, & meritum tibi
Nomen renarrandum per orbem
Perpetuâ LVDOICE famâ.

FIDES ENSEM HÆRESI ET RVPELLAE FATALEM LVDOVICO tradendum inuenit.

ODE IIII.

SVperba Rupes, quæ caput impium
Attollis astris, Acrocerauniis
Audacior, depone fastus
Vindicibus ferienda flammis.
Iam mugit æther, iam coëunt graues
In tela nimbi; iam fragor igneo
Fulgore nubem rumpit; & iam
Flamma polo volat, ardet, vrit.

Quanquam immerenti parcere destinat,
Rupésque vano murmure territat,
Et sanguinis parcus, minore
Fulmine tè LODOICVS afflat:
Rupella, fatis vltima linea,
Tempúsque ineluctabile cladibus
Accessit extremis, vt orco
Sontem animam peritura reddas.
Frustrà minacem militis impetum;
Aut fulminantem fallere dexteram
Tentas, & ensem LVDOICI
Arte nouâ, veteríque fraude.
Ensem repertum, quà secat Heluios
Ferace campos Albia flumine;
Diuésque flauentes crocos, &
Coriciam segetem saginat;
Dum rura gressu sollicito fides
Lustrat, beatis iuncta sororibus;
Dúmque hæresis turpes ruïnas,
Et veteres relegit triumphos;
Quos Monteforti retulit auspice,
Suo redemptam sanguine lauream
Qui restitutis antè sacris,
Relligio, tibi dedicauit.
Hic veprium inter tristia germina,
Caluinianæ quà scelus hæresis
Et diruti templi ruinas
Funereo tegit herba culmo;
Contaminatis ruderibus Fides
Ensem repertum protinus arripit,
Cælóque sublatum profundo
Cum gemitu lacrymasse fertur.
Ah (dixit) Ensis, non te iterum mouet
Fortis Simonis dextera! inutilis
Campo iaces: ignaua fortium
Hoc pateris soboles parentum?

At

At læta contrà Relligio, manu
Quâ sacra tractat, quâ mouet æthera,
Accepit; ac frontem verendam
Virgineo explicuisse risu, &
Nouo seniles lumine dicitur
Auxisse vultus; Canáque Veritas
Veris renascentis iuuentæ
Purpureum reparasse florem.
Ferrúmque dextrâ nobile ventilans
Ter auspicato, terque iterum vibrat;
Ter rursus attollit, regentem
Bella Deum priùs apprecata.
Torquénsque deuotum in caput hæresis,
Potentiores carmine Thessalo
Immurmurauit Diua cantus,
Quò gelidæ chalybi addat iras.
Arcana vocum visus, & abditas
Sensisse vires ensis; & ilicet
Rubiginem ponens malignam
Fulmineum iubar euibrauit.
Vt contumaci cùm latuit diu
Lux victa nimbo, si stetit altior,
Virésque sol collegit, atram
Purpureo secat ore nubem.
Pulcrum salutans augurium fides,
Exúlne tandem Santonicum mare,
Dixit, reuisam, & templa rursum
Depositâ melior senectâ?
At imperato fata silentio
Vetat profari Relligio; comes
Cui lecta virtutum caterua
Læta pari terit arua gressu
Nimbis per auras vecta iugalibus
Currúque fines Armoricos petit
Atque increpat duro frequenter
Alipides zephyros flagello.

Occulta

Occulta gaudet cernere milites,
Circúmque denso funditur aëre
Et septies versis amica
Castra rotis, aciésque lustrat.
Mox consecratum carmine bellico
Ritúque, sumas ilicet imperat,
Virtute cælesti, atque fatis
Iam grauius, LODOICE, ferrum.
Primáque mulcens laudis adoreâ
Pectus labori cedere nescium,
Accendit æternos honesti,
Et patriæ pietatis ignes.
Menti illa magnæ pulchra pericula,
Æuóque monstrat certa resistere
Exempla maiorum, & notatum
Per memores genus omne fastos.
Mox LVDOICI nobile regiis
Ardere famæ pectus amoribus
Vt sensit, instigat flagrantes
Voce animos acuítque dictis.

RELIGIO LVDOVICI DE Hæreticis victorias narrat.

ODE V.

O Caput cœlo Superísque charum!
Quem datum fato melioris æui,
Præsides Regum, patriæque fide
Sydere seruant.
Qui fidem Gallis, iterúmque mores
Reddis antiquos; & ahena regnis
Sæcla formoso reparas metallo
Diuitis auri.
Perge, quò mentis generosus ardor

Regias

Regias curas trahit in patentes
Laudibus campos, animóque tanto
Concipe digna.
Te Patri magno similem Bearni
Antè senserunt, celeri volatu
Dum tibi clausas reserat fauens Victoria portas.
Quæ fatigatis volucres anhelans
Assequi pennis acies, morantes
Impulit ventos, zephyrúmque segnem
Ponè reliquit.
Qualis effræni superare cursu
Frigidas certans Aquilonis alas
Nubium curru, biiugísque nimbis
Humidus Auster.
Qualis aut rupto violentus axe
Ignis armatus face peruicaci
Fertur in terras, rapidáque signat
Aëra flammâ.
Dum Pauor binos animare gestit
Martio doctus lituos fragore,
Dum Metus pulsat trepidâ sonora
Tympana dextra.
Castra præcedunt temerè, cruoris
Ebrij gressu dubio furores,
Qui mori fortes acuunt honesta in
Prœlia turmas.
Tollit, in partes veniens Triumphus,
Auream cœlo renouante Flammam,
Hostibus fulmen, & amica Francis
Lilia signis.
Fortium longus sequitur priores
Ordo virtutum, sociósque mixtus
Inter audaces Iuuenum cateruas
Agmine pugnat.
Cælitum debes, LODOICE, turmis

Si

Si rebellantes populos, & armis
Arma vicisti, trepidisque quassa
Mœnia portis.
Si Nauarrenæ tibi murus arcis,
Turribus cœlo gradibúsque crescens
Sponte pulsanti patuit minacis
Fulmine vultus.
Ardui rupes animosa Pali
Si tuas vano strepitu morari
Noluit vires, Oleróque muris
Arduus altis.
Impetum belli properantis ausa
Angeli moles temerè morari,
Sensit vltrices meritò furentis
Militis iras.
Ister hyberna vt violentus irâ,
Diues vndarum, tamen imperatas
Egredi ripas timet, & minore
Se tenet alueo:
Si viam claudunt obices, superbos
Colligit fluctus, trepidisque campis
Maior insultans, tumidum refundit
Prodigus amnem.
Vasconum montes tibi, LVDOICE,
Nescias flecti posuêre syluas:
Pauper æstiuæ tibi fluxit vltrò E-
girtius vndæ.
Spontè riparum temerator amnem
Duxit in partes Rhodanus, tuisque
Obsequi iussis famulans vtróque
Littore gaudet.
Fluminum Regem famulis secuti
Alueis stipant fluuij minores
Sed breues maior procul inter vrnas
Eminet vrna.
Quíque ciuili toties cruore

Se

Se priùs tingi meminit, Garumna,
Impia alternis gemuítque portans
Funera ripis;
Limpidos fluctus, similésque puro
Voluit argento; neque iam cruento
Occulit limo caput, aut pudendum
Æquore mersat.
Olda frænari patiens, Cadurcâ
Te colit ripâ, faciléfque labis
Imperat fluctus, & amica lente
Stringere rura.
Tarne, quid fato superisque pugnas?
Impij tardas sceleris daturus,
Sed graues olim repente cœlo
Vindice pœnas?
Ni tuis mitem precibus moueri,
Noxij quamuis pietas auara
Sanguinis placent, & amica paci
Numina Regem.
Finis hæc longi tibi sit laboris,
Montis audacis furor: hæc piorum
Meta votorum. Reliquo sequantur
Otia regno.

RELIGIO ENSEM LVDOVICO tradit ad oppugnandam Rupellam.

ODE VI.

INterim cessas? age nunc quod instat
Arduam ferro domiture Rupem.
Dexteram arcanis precibus sacratus
Impleat ensis.
Passus incudes, gelidáque mersus
Segusi fontis rapidos in ictus,

Hæresi-

Hæresis cæsæ meliore discat
Sanguine tingi.
Ille fatalis resecare plexos
Anguium nodos, scelerum ille vindex
Impiis fraudum latebris amica
Cædere monstra.
Cernat affuso pelago Rebellis
Clausus incassum, geminétque cœlo
Arduas turres, triplicíque cingat
Mœnia vallo.
Regium cernat moriturus ensem;
LVDOICÆA per inane dextra;
Martij cernat trepidus volantes
Fulminis iras.
Ille pugnaces aperire turmas
Ardet, & clausas reserare victo-
ri Vrbium portas, trepidásque bello
Vertere turres.
Quantus, heu! diri oceanus cruoris
Santonum campos, veritásque mergi
Fluctibus ripas, pelagíque tinget
Sanguine fluctus!
Tollis incassum peritura celsas
Annuo Rupes peritura bello,
Turribus pinnas, solidísque densas
Mœnibus arces.
Non, licet Tauro Rhodope, niuosæ
Aut Pyrenæis premerentur Alpes,
Aut Cilix ingens gemeret sub alto
Pressus Olympo,
Non tamen turres tegerent caducas,
Non reuellendam penitus profundis
Sedibus, Cœlo duce, Martiali
Fulmine Rupem.
Non, licet nubes Zephyrósque plenis
Sorbeat velis, & agat procellas,

Atque

Atque iuratos inimica ducat
Anglia ventos.
Cùm teget sylvâ pelagus natante,
Mille cùm remis feriet profundum, &
Prora centeno sinuosa pandet
Carbasa malo.
Viribus fraudes societ Britannus
Acer, inuitis elementa turbet
Sedibus, sæuas sociis obarmet
Ignibus vndas.
Francus obiectas ruet efficaci
Impetu moles: veluti teneri
Ignis indignans fremit, ac tremendo
Saxa fragore.
Rumpit, ardentes iaculatus iras;
Vesbij centum populatus annis
Sulphuris venas, piceámque voluit
Æthere nubem.
Cernet ardentem pelago Rebellis
Angliam è muris, miserámque dirus
Fulgor afflabit malè-ominatis
Ignibus vrbem.

LVDOVICI BELLA EXTERA.

ODE VII.

HÆc domi sunto. Peregrina posthac
Castra iam suetas superare turmas,
Iámque collatis inimica signis
Signa videbunt.
Patriæ angustis animum negantem
Finibus claudi, sibi fisa virtus
Ad nouos famæ titulos pauentem
Mittet in hostem.
Qualis in cædes iuuenilis ardor

Indolis

Indolis sæuæ rapuit leonem,
Vngue cùm plantas videt, ora duro
Crescere dente.
Quò ruet primi violenta belli
Flamma? Quis primos acuet furores?
Quis prior damnato auidas cruore
Imbuet iras?
Fallor, an campos Italos reuises
Montibus frustrà, solidóque clausos
Alpium vallo; tibi saxa virtus
Inuia franget
Rupit affuso rigidas aceto
Annibal cautes, rapidâque flammâ;
Tu viam ferro facies, & acris
Fulmine dextræ.
Gallicas ripâ metuens vtrâque
Sentiet turmas Padus, atque anhela
Ibit inclusus galeâ cruento
Flumine in ora.
Seu iuuat clausos aperire portus
Nauibus centum, totidémve turmis
Inuios montes, & amæna longis
Vallibus arua.
Iam tremunt Alpes, Ligurúmque Francis
Obuium littus, pelagíque fines,
Quos vel Ethruscum mare, vel sinister
Adria claudit.

LVDOVICVS AD BELLVM sacrum, & terram Sanctam.

ODE VIII.

QVamquam, ô! inuictũ potiùs Scytharũ
Impios ferrum sitiat cruores,
Nec piis tristes lacrymanda quærant
Bella triumphos.

Ille

Ille virtutem, LODOICE magnam
Campus inuitat, pretiúmque famæ
Ac triumphales tibi spondet orbe
Iudice lauros.
Iam Palæstinis tibi dedicatæ
Montibus crescunt, LODOICE, palmę, &
Gestiunt ramis patriis honestam
Cingere frontem.
Mox vbi Lunæ iubar occidentis
Soluerit diro populos timore,
Tu piæ carpes lacrymante syluâ
Pacis oliuas.
Tunc ego tecum memores reuisam
Funeris magni scopulos, & antra
Parua Bethlemes Erebo timendi
Conscia fletus.
Tunc viæ Regi comes ibo; prudens
psa monstrabo loca, nec piarum
'ersa terrarum facies scientis
Lumina fallet.
lic polo, (dicam) veniens, remissas
xuit pennas pauidámque magni
irginem partus placido remulsit
Nuncius ore.
ic specum nudam tenero puellus
npulit fletu, superi fluentes
um legunt gemmas oculis, & auras
Carmine mulcent.
c sacro nomen redimit cruore; hæc
ua funostâ maduere cæde,
ım pium cœlant bona nox, & astra
Conscia furtum.
c tot autumnos bene notus astris
it, ignotus populis; & illis
lla cœlari tenebris Paternæ
Lucis imago.

Inde Iordanis repetemus vnà
Regios fluctus, vbi Christus alto
Amne damnati peritura lauit
Crimina mundi.
Si placet raris gradibus notatos
Ire per montes, vacuósque saltus,
Et fami notas latebras, dapisque
Æthere missæ.
Hîc maris (dicam) posuêre fluctus:
Rursus hîc iussi tacuêre venti;
Hîc Dei gressus famularis vnda
Sensit heriles,
Sparsa damnati monumenta templi
Hîc vides, præsens quod ab axe quondam
Numen implebat, vetitámque rursum
Surgere molem.
Quid loquar fuso Domini cruore
Ebriam rupem, scopulósque tanti
Criminis testes, quid aperta iusto
Saxa dolore?
Quid parem cœlo Thabor, vt paternas
Audiit voces loquar? vt Prophetas
Vidit adstantes, geminóque clara
Lumina sole?
Vltimus nobis labor est oliuis
Consitum gressu superare collem,
Christus impressas vbi liquit alto
Marmore plantas.
Mille diuinis pedibus notatæ
Osculis cautes, lacrymísque mille,
Mille millenis, iterúmque mille
Saxa tepebunt.
Hæc viæ ductrix ego te docebo:
At mihi sancti pretium laboris
Templa tu reddes, veterésque sacris
Ritibus aras.

PIETAS

PIETAS LVDOVICVM hortatur ad bellum sacrum, & immortalitatem pollicetur.

ODE IX.

HÆc diua votis grandibus aggerat
Magnæ sororis non minor omina
Spondente cœlo visa dictis
Prosequitur pietas amicis.
I, Christiani gloria nominis,
Quò vera virtus, quò facilem sequi
Auara veræ fama laudis
Et cupidi vocat aura cœli.
Turcis timendi te generis sator
Inuitat vltorem immeritæ necis;
Spondétque præclaro Nepoti
Fata suis meliora fatis.
Oppigneratæ Sidonij maris
Quæ sculpta turres lilia præferunt,
Virtutis antiquæ parentum, &
Desidiæ monimenta nostræ.
Clarissne semper solibus offerent?
Quondam fuistis, Assyrius procax,
Hîc (dicet) æternúmque gentis
Opprobrium digito indicabit?
Non sic inultos linquere fortium
Manes auorum te decet; & piis
Quæ gaudet insultare bustis,
Et cineres agitat quietos,
Thracum insolentem ferre proteruiam:
Inclusa venis dum patrij calet
Vis sanguinis, nec sunt ab imis
Lilia Franca reuulsa fibris.
Regnum inquietis motibus interim
Ne quâ laboret parte, RICHELIVS

 Curabit,

Curabit, & præsente Patres
Consilio populúmque flectet.
Nam maior armis, & melior manu
Exempla fratris grandia proximis
Vestigiis GASTO sequetur
Altera spes patriæ decúsque.
Nec vlla plures dextera Bistonas
Mandabit orco; aut Thracibus impios
Deponet ex equis sedentes,
Aut rapiet galeis honorem.
Truncum minorem plurima deseret
Ceruice casis plena ducum; oblita
Cùm puluere & cruore diras
Ora minas, odiúmque ponent.
At post peracti sæcula Nestoris,
Post mille pugnas, mille pericula,
Et mille de victis triumphos
Odrysiis Scythicísque turmis
Iam longioris non patiens moræ
Mentem beatam cùm repetet polus
In astra, maturúmque cœlo
Te positis veneretur aris;
Rursúsque supplex Gallia Regias
Aras Sabæis frugibus augeat;
Rursúmque nomen LVDOICI
Alterius noua templa signet.

CARDINALIS

CARDINALIS MAFFEIVS NVNC VRBANVS VIII. P. M. Ludouicum è Sacro fonte, Pontificis nomine ſuſcipit, & ei Sanctitatis ſolemnes honores auguratur.

ODE X.

Hoc, Vaticano qui ſolio arduus
VRBANVS orbi nutibus imperat,
Terráſque ſubiectas profundis
Conſiliis, vigilíque mente
Seruat, ſpopondit; cùm puerum ſacris
Iam dedicatum relligionibus
Datúmque Romani parentis
Te patriæ, LODOICE, curæ
Sacris ab vndis purpureo ſinu
Cœlo renatum ſuſtulit; ac ſuæ
Virtutis inſpirauit ignes,
Vota piâ prece proſecutus;
Et voce, quâ nunc ipſe merentibus
Aut claudit axes, aut reſerat potens;
Cui ſubditur Cœlum, & ſequuntur
Aſtra polo famulante nutus.
AVGVSTE (dixit) creſce puer, meis
Spes fida votis: actáque regia,
Exempla maiorum ſecutus,
A tenero mediteris vngui.
Seu bella fortes, ſeu pietas manus
Caſtas repoſcent; ſis bonus otio
Acérque bello; quâ ſecundos,
Quâ dubios vehet aura curſus.
Magníſque nati magnanimus parens
Victum fateri gaudeat actibus:
Regum ſupremus cedat vni



Spontè tuæ, LODOICE, famæ.
Amica donec te meritis parem
In astra Francorum Indigetes vocent;
Vt parte, quâ males, receptum,
Syderibus, radiisque cingant.
Nec destinatos ordinè non tuo
Subibis axes; qui redeuntibus
Annis ad aras consecratum
Bis decimus sequeris parentem;
Qui LVDOICI primus in æthera
E Vaticanis sedibus intulit
Regale nomen, posterísque
Sydereas reserauit arces.
Hunc antecessit gressibus arduis
Fundator alti Carolus imperi;
Qui sceptra primus gentibúsque
Romuleas Aquilas Latinis
Dextra reuexit; nec dominam tulit
Seruire Romam Regibus exteris.
Illum prior cœlo renatus
Æthereâ Clodouæus vndâ.
Cui missa cœlo lilia, & Aureæ
Flammæ, atque oliui perpetuus liquor
Seséque profudêre pleno
Astra sinu, faciléſque Diui
Exinde Francorum aurea lilia
Biscumque deno qui tenet ordine
Sacratus oris occupabit
Templa pio satianda thure.
Aucture cœli regia Gallici
Maiore flammâ sydera, Cœlitum
Aucture diuinos honores,
Atque polo superos dature;
Quæ-syderum te cumque receperit,
Pars, Franca amicis respice lilia
Flammis: domum æternam tuere, &
Borbonij

Borbonij generis nepotes.
Et quem priùs Rex more Patrum coles,
Præsénsque dextrâ præside proteges;
Cælo additus Patrem potenti
Romuleum pietate serua.
Hæc ille. Cœlo tunc Deus annuit:
Puérque risu visus amabili
Agnoscere VRBANI futuris
Cum titulis triplicem Tiaram.

INSVLA RESSIA OBSIdione liberata.

ODE XI.

TEr centum ratibus, sed sine numine
Anglus cùm premeret Resſia littora
Et clausa attonitus BORBONIVS freta
Alto è littore cerneret;
Triton ter placido mersit in æquore,
Ter frontem madidam sustulit, & grauem
Humenti releuans cæsariem manu,
Regi fata, silentibus
Vndis, præcinuit. Pone animo metus,
Curam sollicito pectore dimoue;
Quanquam sæuit hyems, atque Britãnicis
Obsessum trabibus mare:
Spem portu, & cupidæ littore Resſiæ
Excludit; faciles inueniet vias
Hostes per medios perque pericula
Inuitis aquilonibus.
Indignante salo regia Gallici
Fortuna imperij, & fortior æquore
Virtus. Iam patiens Oceanus pater
Leges accipiet tuas.

Sic cælo placitum, sic Superi iubent.
Quid sperare pio BORBONIO nefas?
Cui pugnant elementa, & famulantia
Substernit pelagus vada.
Cui iussi veniunt ad sinuos Noti,
Cui nimbi celeres, ac socialia
Ad nutum cuneis astra fidelibus
Iuncto fœdere militant.
Hebræas acies cùm sibi credulus
Plùs æquo, premeret Sisara, seiuges
Exhortatus equos, milléque curribus
Falcatas ageret rotas
Insano strepitu: Debora supplices
Vix cælo tulerat pro populo manus,
Æther imperio numinis ilicet
Armatis stetit ignibus:
Mox stellarum acies candidius aureas
Diuisit triplici Lucifer ordine,
Strictis quæ radios ignibus, & truces
Vibrarunt oculis faces.
Cælum fulmineis sideribus minax
Claro prodigio terruit Hostium
Turmas, dum Briareo fertilior simul
Centum tela manu vibrat,
Centum torta simul fulmina dirigit.
Densis missa volant spicula nubibus,
Nec tectis resonat grando frequentior
Aut spargunt Rhodopen niues.
Quot torrente Cison sanguine turbidus
Deuoluit galeas, scutáque fortium.
Heu! quot semianimes vnda Cadumia
Turmas abstulit alueo.
Hostis, bella tibi qui mouet, impius
Idem Cælitibus bella mouet: Deus
In partes veniet: signáque Gallica
Certis auspiciis reget.

Tem

Tempestas placidis fluctibus æquior
Noctis per tacitæ fida silentia
Missos auxilio Vascones inuehet
Clausæ portubus insulæ:
Anglorúmque rates Ressia splendido
Spargent naufragio littora. Sed priùs
Debet sanguineis hæreticus cruor
Restagnare paludibus.

AD SIGNATIVM, VT REGI LVDOVICO sobolem impetret.

ODE XII.

Nec fas, nec pietas sacrilego sinant
Ingratos Superos dicere carmine
Duram ad vota precantum
Aurem aduertere segniùs,
IGNATI: Sedenim quid dubitas adhuc
Ac lento populos auxilio iuuas,
Ah! quondam hospitis oræ
Et Regis prece durior
Inflecti? Toties sollicito metu,
Votorúmque pio quod petit ambitu,
Iam mercede redemit:
Certè aræ tibi supplices
Fumant thure nouo, templáque regia
Elato feriunt æthera vertice:
Signátque ardua nomen
IGNATI atria testibus
Votorum titulis. Nunc agedum, priùs
Quàm currum decimâ torqueat orbitâ
Præses Cynthia noctis
Pigrísque esseda mensibus,
Fac ANNÆ in gremio ludat auo puer

Aut

Aut Patri similis, qui referat suam
Formoso ore parentem,
Inuictóque animo Patrem
Hunc ANNA, hunc auidis deuoret osculis
LVDOVICVS ouans. Sic rea nobilis
Tandem Gallia voti
Te, LOIOLA, polo vocet.
Sic Francorum iterum luceat ignibus
Festis Roma frequens: nec populus suis
Votis astra queratur
Respondere malignius.

RVPELLA CAPTA.

ODE XIII.

Tarnis perfidiâ nobilis, alueo
Iam tandem domito pone ferociam,
Damnata exscidio dirue pergama:
Sic Rupella Britannico
Fidens Oceano & nauibus Anglicis
Frustrà, capta monet; Nam Deus arbiter
Ventorum, pelagi clausa frementibus
Vndis continuit freta:
Dum deiecta solo mœnia, principem
Victorem acciperent, victáque supplices
Regi turba manus tenderet, impiam
Execrata proteruiam;
Et frontem placido fulmine Martiam
Parcentis coleret: Mox vetitum mare
Hac sæuire tenus, impete libero
Moles impulit arduas.
Quid Francorum acies auxiliaribus
Non vincat superis? ambigui vices
Cur Martis timeat? Plena periculo
Res est astra lacessere

Humanis

Humanis opibus. Sic Babilon docet,
Et confusa sonis ora loquentium.
Incassum vetitas sustulerat polo
Turres Assyrius labor,
Quæ vastis peterent molibus æthera,
Et celso propiùs cornua Cynthiæ
Obliquásque rotas vertice stringerent:
Nam vidit Deus, & graues
Irridens operas, ne temerarij
Molimentum operis cresceret altiùs
Concordes animos, & malè barbaro
Diuisit populos sono

AD TVTELAREM ANGELVM.

ODE XIIII.

TVtela nostræ, peruigil aliger,
Custósque vitæ, qui tibi creditum
Seruare Gilbertum fideli
Præsidio, assiduáque curâ
Pergis: Nec vllus (spero equidem) meo
Diuellet vnquam te lateri dies
Fastidiosum segnioris
Obsequij, aut vitiis iniquum.
Semestris infans (nam retulit parens
Iam sentienti) pondere crebriùs
Dum verbero terram caduco,
Nec teneris malè firmus vsquam
Insisto plantis; iam mihi tristia
Adnata multo cornua vulnere
Fronti eminebant, vnde præfert
Ore notas memores cicatrix:
At tu cadenti suppositâ manu
Ictum leuabas, ne grauiùs solo

Afflicta

Afflicta ceruix, delicato
Imprimeret vitium cerebro.
Nec deinde adultum segnius adiuuas:
(Hæret ne fastus namque animo dies
Torrente cùm lapsus pauentem
Mersit equus puerum fluento.
Rudem natandi, nec vacuum metus,
Pronus secundo dum feror alueo,
Mento extulisti, cùm molestos
Iam traherem patulo ore fluctus,
Visurus atram mox styga, & horridi
Lintrem Charontis, qui ferus hospites
Transuectat vmbras, & negatâ
Non patitur remeare cymbâ.
Laboriosis tu solitus mihi
Leuare curas. Non breuium mihi
Tu dux viarum; seu per Alpes,
Et Rhodope iuga nil minora,
Seu mitiores tendere Vasconum
Saltus, Cadurcis seu Superi iubent
Me vitibus colles amœnos
Aut Gabalas penetrare syluas.
Custode fidens alite, liberè
In hospitales per Brasilos ferar,
Et qui dape humanâ scelestam
Cannibalæ reparant saginam.

Ad eundem Angelum

QVas voce grates, quas animo tibi,
Custos, rependam? qui toties tuo
Pericla defendis clienti,
Ne trepidum stygiæ laborent
Terrere laruæ. Ne noceant mihi
Aruerna pigris frigora noctibus
Solésque Romani, atque campis
Vasconicis

Vasconicis inimica grando.
Periculoso seu feror alueo
Fluctúsque tento : seu via longior
Syluas pererrantem fatigat,
Aut nemorum latebrosa terrent:
Tu mentem apertam tollis in æthera
Tu das amicum consilium, & graues
Lenire suades temperatâ
Desidiâ, fidibúsque curas.

AD EVNDEM ANGELVM Tutelarem.

ODE XV.

DVc, fide Tutor: te sequar; arduas
Seu me per Alpes, seu per Americos
Fluctus, & ignotum Tibetum
Ire iubes, Brasilósque nudos.
Si me tueris, nil moror obsequi,
Quocunque ducas. Non querar annuum
Viæ laborem, non procellas,
Non nemora, aut steriles arenas.
Nec Raphaëlis cura fidelior
Mercede promissâ à patre creditum
Perduxit Euphratem, senique
Restituit iuuenem: ægra quamuis
Cæco refinxit lumina Tobiæ,
Mentitus ora & nomen Asariæ:
Sæpe asperos mollire calles
Aut capiti prohibere charo
Æstum nocentem visus, & humidos
Imbres cauis suspendere nubibus;
Cælum licet nimbo minaci,
Et pluuio maduisset Austro.
Tygris viator dum fluuio subit,

Vastis

Vastis minantem faucibus extrahi
Piscem iubet : mox palpitanti
Ante pedes iecoris reuelli
Fibras potentes Tænara vincere
Si qua inquietis spectra penatibus
Cum grandibus laruis oberrant,
Ac stygiâ simulacra nocte
Damnata, ahenis horrida vinculis;
Tum fel amaro protinus efficax
Collirio cæci parentis
Luminibus reparare lucem,
Clarśmque solem reddere, puriùs
Lucere visum post tenebras. Vetus
Idem ille creditum Gabelo
Æs retulit; iuuenémque sanctum
Pudica Saræ misit in oscula,
Castóque iunxit fœdere nuptias;
Nec passus illum nocte primâ
Funereis facibus maritas
Mutare tædas : Nam irresolubili
Strictum cathenâ traxit in vltima
Arentis Ægypti Asmodæum, &
Duro homicidam adamante vinxit:
Auctśmque fidâ coniuge Tobiam
Et dote opimâ, longa parentium
Ne vota lassaret, paternis
Incolumem laribus reduxit.
Præcurrit illum fidus hero canis
Comes viarum; & nuntiat hospites
Adesse; testatúrque motâ
Lætitiam reditúmque caudâ

DE PESTI-

ODE XVI.

FAciles esse gementum prece flecti,
Superos thuréque parco, vetus ætas
Meliori fata mundo docuit credere natos
Misereri faciles parcite Diui
Labat anceps animus: quem nisi certa
Titubantem pietas, atque fides imperiosa
Oculis ponere leges, animisque,
Sibi constare iuberet, malè tuto
Pede vestigia firmans, dubio victus iniquo
Quateretur. Trucibus Martius armis
Miserandas populatur furor vrbes:
Spatiosos auidè dira fames pandit hiatus,
Neq; viuam saniem alto ore resorbēs.
Satiatur: neque iam segnior instat
Rapidis horrida pestis pedib⁹ funera calcās
Eadem mors, eadem sors superaddit
Sceleratæ vacuos crimine turbæ.
Satis est. Ah! satis est. Iā tumulatas miserat⁹
Pater, æquis oculis aspice terras.
Nisi parcat manus vltrix repetito
Feriēs crimina telo; quis auitas colet aras?
Grauiores meruit fulminis iras
Tuus orbis: Sed amantis patris igne
Superari meliùs se patietur tuus orbis.

AD BEATAM BARBARAM.
Vt pestem in Galliâ grassantem extinguat.

ODE XVII.

VIrgo formosam radiata frontem
Grandibus stellis, meritósque crines:

Virgo,

Virgo, quam sacro radians cruore
Purpura vestit
Ausa nam duro teneros sub annos
Aggredi pugnas animo viriles;
Ausa tormentis, facibúsque cinctam
Spernere mortem.
Virgo primæuos imitata soles,
Digna cui mores niueos paterno
Mitius nomen, placidósque signet
BARBARA vultus.
Nam verecundas facilis rogantum
Accipis voces, gemitúsque castos;
Nec sinis vanas temerè vagari
Vota per auras.
Seu fames pandens vacuos hiatus
Tristibus latè spatiatur aruis;
Seu minax belli facies natantes
Sanguine campos
Stragibus signat, madidísque latè
Irrigat Nilo segetes cruento:
Seu comes bello rapit insepulta
Funera pestis.
Tu manu morbos medicâ repellis;
Tu salutares miserata succos,
Clausa cum venis furit ægra rabes,
Pectore supples.
Tu iubes lentè properare surdam
Ad preces flecti gemitúsque mortem:
Tu iubes, frustrà dubium frementem
Condere telum.
Tu potens ægri reparare vires
Cordis exhaustas, sceleris malignam
Dum vomat tecti moribundus alto
Pectore pestem.
Tu pio suetis celebrare cultu
Barbaræ nomen, segetem sacratam

Ritibus

Ritibus sanctis famulante cœlo,
Diua, ministras.
Hæc dabis quondam. Modò ne minora
Vota contemnas, procul vt repellas
Cladibus pinguem, saturámque Franco
Sanguine Pestem;
Quæ velut Mauris Lea sæua campis
Ardet in cædes, gregibúsque stratis
Incúbans lambit trepidâ cruenta
Vulnera linguâ.
Finibus cedat simul ægra Tabes;
Cedat ardentes populata venas
Febris, & Pallor malus, & coactis
Agmina morbis.
Si quod auerso minitatur Orco
Sequanæ ripis. Rhodanóque monstrum,
Aut LODOVICO cadat, aut furentis
Sentiat iras.

AD EANDEM D. BARBARAM. vt LVDOVICVM tueatur.

ODE XVIII.

CErne iuratos tibi, Diua cætus,
Quo soles vultu, mare cùm, vel austro
Nubilos soles, facilíque risu
Astra serenas.
Pax redux tecum, placidóque ridens
Faustitas vultu, pietásque Patrum
Iam-memor tandem colat, atque Francos
Copia fines.
Si qua damnatos grauis aura pascat
Pestis afflabit populos, nocentem
Trade portandam gelidis in Afra
Littora ventis.

Audior. Cælo modò Vaticano
En Apis fertur volucres per auras,
Purpurâ claris & adire Gallos
Destinat alis.

OMen æterni generis secuta
Gallias ergo pietas reuiset?
Et Fides præsens sibi dedicatas
Incolet aras?

Hæresis Francis procul exulabit,
Concauos vltra Tanaísque fines,
Caucasi damnata pati rigores
Cruda Virago.

Aut nigræ exustis Libyes arenis
Inter agnatos habitans Cerastas,
Dira sed frustrà trifidâ mouebit
Sibila linguâ.

Tu datum mundo, bona Diua Patrem,
Atque adoratum populis Tiaram;
Tu piâ serua prece Barbarinam
BARBARA gentem.

Tu LODOVICI meritam iuuentam
Tu LODOVICI facilem senectam
Tu domum sceptro gemino potentem
Barbara serua.

Tu domus magnæ genus ac nepotes.
Tu pio ritu cytharæ silentis,
Muta qui tangit tibi fila, serua
BARBARA Vatem.

Fortè si posthac reperat relictos
Iamdiu cantus, residésque neruos;
BARBARÆ cœptas meliore dicet
Pectine laudes.

AD

AD DVRANDVM, IN religioſo ſeceſſu Spoleti Agente.

ODE XIX.

Fruſtrà mî ſteriles carpere laureas,
Atque vmbram capiti nectere præcipis;
Dum maiora ſecutus
Cælum atque aſtra perambulas.
Spoletum facili dat tibi numine,
Ac præſente diu concilio frui.
Diuûm; & pectore toto
Cæli delitias bibis!
Ibo, ibo: ſocio fœdere perfidum
Nec iuraſſe tibi dixeris; impium
Nec lux vlla ſacratam
Me mutaſſe fidem arguat.
Te, Durande, ſequar quò pietas vocat,
Afflatúſque polo numen, & annuæ
Sedes lecta quieti,
Et noxæ locus innocens.
Hîc curas humiles exuere, hîc polo
Diſcam conſpicuum tollere verticem,
Hîc penna fugitiua
Aſpernari humiles domos
Illuſtres titulos, fumum & inutilem
Famæ, lux eadem, quæ dedit, auferet:
Nigris ſola ſuperſtes
Virtus ignibus euolat.

AD IOANNEM BAPTISTAM Maſculum Poëtam Lyricum.

ODE XX.

DOcti carminis artifex;
Seu tu Romuleâ ludere barbyto,

Seu Graiis Edibus iuuat,
Hyblæos latices dulciaque Attico
Misces nectare pocula.
Seu naturæ adytis egrederis nouus
Mystes, seu melioribus
Alis per liquidum tolleris æthera:
Dum vitam immeritis mori
Donas ingeniis, dum cineri pio
Et famam esse superstitem,
Et nigros tribuis quo fugiant rogos.
Tu terras fugientium
Virtutum reuocas agmina ab æthere
Priscis cognita patribus,
Auro cùm fluerent diuite sæcula
(Ætas deterior modò
Cassas vix retinet nominum imagines.)
At fœdos Lemures procul
Et cæcâ Lamias terror agit fugâ.
Deformémque Proserpinam,
Nocturnis Hecaten ire vetas sacris:
Tu visu horribiles strigas
Harpyiásque truces, atque tricorpores
Vmbras Tænariâ specu
Celari & tenebris turpibus imperas.
Tu Bethlemiacum specus,
Tu tristis Moriæ sanguine numinis
Rorantes scopulos canis,
Et cædis maculas fletibus abluis.
Tu ceruicibus aurea
Facundo trepidis dicis vt arserit
Olim flamma silentio,
Castas syderibus lambere mitior,
Atque igne innocuo comas,
Quàm cùm deciduo turbine cælitus
Iracundi aliàs minùs
Thesbitæ imperiosam ilicet ad precem.
Turbam

Turbam cum duce non sui
Damnatam sceleris turbidus abstulit
Flammis vindicibus rogus.
Non indicta tibi Mater honoribus
Et Virgo meritis caret:
Seu Solis niueâ cyclade fulgurat,
Seu Lunam pede calcat, aut
Bissenis radiat sideribus caput.
Grandi carmine numinis
Heroas socios, & sapientiæ
Cœlestis proceres sacris
Fastis adnumeras: Quosque potentior
Fatis miscuit ignea
Virtus sideribus: vel roseus cruor
Immortalia fortibus
Cinxit purpureâ tempora laureâ.
Quid cœlo decus additum,
Accensa & gemino sidera lumine
Ignati rutilum iubar.
Et qui iam domitâ Victor ab Indiâ
Cœlo misit Iaponas?
Tu stringis triplici colla rebellia
Nodo, & nexibus aureis
Felici memoras regna tyrannide.
Tu tandem cineres pio
Componis tumulo, & funeream diem,
Fatalémque rogum canis,
Mundus iam senior quo tumulabitur,
Cùm diro pauidos nocens
Inuoluet populos flamma volumine:
Victurámque diu chelin
Ille idem rapiet, qui populos, rogus.
Hic famæ tibi terminus
Esto, docti opifex, Mascule, carminis.
At tu (quod licet) interim
Monstrandus digito prætereuntium

Diuinæ fidicen lyræ,
Et famâ fruere, & diues honoribus
(Quod rarò cineri datur)
Præſente inuidiâ maior, & vnicè
Felix præcipe pectine
Quæſitam meritæ laudis adoream.

AD FRANCISCVM Picolomineum.

ODE XXI.

FRanciſce, ingenuæ domus
Qui claros atauos gentis honoribus
Primis, qui trabea Pios
Inſignes Latia, & grandibus infulis
Aſpectu atque animo refers.
Te curæ generoſo ingenioſo pares
Vrgent, dum tibi creditis
Terrarum ſpatiis pectora diuidis,
Qua cœli patet ambitus.
Curas quid faciant vtraque Guinea;
Fœcundíque recentium
Palmarum Braſili. Quid Preamania
Crebris humida fontibus
Quid duris ſitiens ora Trauancoris,
Atque inuita Macaſsia
Turcarum ſtolidis relligionibus
Iuſſu principis obſequi.
Quid noſtris toties vncta cruoribus
Tellus horrida Iaponum;
Nunc lentis tacitas ignibus hoſtias
Et claris adolet rogis:
Dum Sinœ faciles aure auidâ pios
E cœlo monitus bibunt.
Et condunt animis dicta fidelibus.

Curas

Curas quo niger Æthiops
  Pandat tarda noto vela; quot Indicum
Remis sollicitet mare:
  Mittisque in digitos, ac numerum exigis
Quæ tandem videat dies
  Nigritas Latij Pontificis pedes
Prono tangere vertice, &
  VRBANI ad solium tot populos Deo
Iurata fide subdere.
  Cùm vultus ebeno dissimiles parum
Cernet turba Quiritium
  Et factura metus ora trementibus
Monstrabit pueris parens,
  Dum pompæ numerat fercula barbaræ,
Claris macte laboribus.
  Par ille est Superis, qui vacuos suis
Implet muneribus sinus.
  Sol mundo radios spargit,& auream
Indefessus agit diem;
  Ac,lucem populis dum facit,accipit,
Cui dandi pretium est dare:
  Vænale hoc pretio lumen habet dies.

AD IOANNEM DE LVGO Theologum.

ODE XXII.

QVales aurifero Tagus
  Fundo voluit opes, dum rutilo mare
Turbat prodigus alueo:
  Tales ingenio diuite,nectaris
Riuos fundere te potens
  Miratur Latiis Roma nepotibus;
Doctæ lumen Iberiæ
  Extremóque oriens Lucifer Hespero.

Seu cæcis penetralibus
 Naturæ reseras abdita, tetricæ
Consultus sapientiæ,
 Siue inconspicuum mentibus aspici,
Et caligine lucidâ
 Celari cupidum numinis abditi
Æternum iubar, & pio
 Vestigas oculis tecta silentio.
Cùm feliciter improbus
 Mixtus Cælicolis astra perambulas.
Tu, mentes domino regit
 Quæ nutu, arbitriis molliter imperans,
Humanámque proteruiam
 Colit fræna pati, (ne malè liberis
Nectat vincula mentibus
 Aut seruile iugum) iungis amabili
Grato fœdere Gratiæ
 Vires ingenuas; & vice mutuâ
Cœlestem dominam sequi
 Cui fas est, temerè ne præeat, caues,
Natura ambitiosior:
 Ne vel principium, vel meriti sibi
Felicem arroget exitum.
 Quam centum Pietas iuncta sororibus
Stipat, nec pudor innocens,
 Sacrorum neque abest Relligio potens;
Vestalíque modestia
 Vultum tecta Fides, quæ temui horridam
Noctem lampade discutit,
 Nec solis radios lumine languido,
Nec clarum patitur diem.
 At spes blanda genas vulgus inertium
Casti illecebris rapit;
 Inuitatque oculis ire per ardua
Quà cælo Deus imperat:
 Iuratámque fidem numinis obligat,

Et

Et magnis homines sequi
Diuam difficiles pollicitis trahit;
Quos tecta ambrosiæ dape
Ac puro recreat nectare Charitas.
Hæc te, Lugo, humili quidem
Secretum populo nubibus inferunt:
Sed mores tamen aurei
Et sæclo veteri par pietas magis
Mirantes oculos ferit.
Nam plausu in numerū cōsona pulpita,
Auritóque silentio
Mentes attonitæ quid tibi proderunt?
Si vanæ sine moribus
Voces intereunt, nec cupidum ingredi
Cœli ianitor accipit,
Et surdas precibus non reserat fores?

IN GORDVLVM SENEM auarum.

ODE XXIII.

Gordule, cui dulces sapiens fortuna negauit
Auare auara liberos;
Ni magè, dum numeras sumptus curásque parentis,
Sponte orbitatem optaueris:
Damnatus votorū insano parce labori.
Tibi viue iam, serò licet,
Cum tarda ad fratrem letho germana senectus
Manu prehensum te trahit.
Incerto intereà dum hæredi congeris aurum;
Et paria regnis prædia
Mēsibus adnumeras, dū nomina bissenarū.
Superba villarum annuis

Assignas

Aſsignas lunis;nullâque relinquis inanem
(Annum vnus vt ſolidum occupes)
Faſtorũ partem, cõſul quã nomine ſignet:
Et ruris angulum angulo
Iungere non ceſſas.Inſomni lumine nũmis
Arcæq̃ue vigilas diuiti.
Ac velut addictus cuſtos donaria ſerues,
Aríſque deuotas opes,
Quas nulli dextrâ licet attrectare profana,
Aut curioſo lumine
Delibare,aut ſacrilegis anathemata votis,
Auro ipſe concolor tuo
Palles,atque altos tãtùm miraris aceruos,
Lentoq̃ue langues ictero:
Verũ neſcio quid sũmæ deeſt vſq;rotundę;
Et angulus ſemper vacat
Confertâ vacuus, auríſque famelicus arcâ,
Satiare quem nunquam potes.

ODARVM

LIBER II.

AD FRANCISCVM S. R. E. Cardinalem Barbarinum.

ODE I.

FRancisce, augustam cingit cui purpura frontem;
Quem Vaticana principe
Murice lana tegit.
Qui mundi curas, & formidabile cœlo
Romano Atlanti sustines
Proximus orbis onus.
Quémque operum partem tantorum VRBANVS & vnum.
Esse orbis imperio parem
Nouit, & esse iubet.
Cui Regũ arbitriũ iuueni Sapiẽtia præcox,
Et sacra iustâ contulit
Ponere iura manu:
Cũ per adorãtes populos spectabilis ibas,
Gerensque fronte patruas
Pacis, & ore notas.
Disce, age, sub Patruo componere legibus (orbem,
Longámque pacem arbitrio
Condere, & arma tuo.

Fortè

Fortè etiã cœli auſpiciis maioribus, olim
Parere diſcet legibus
Mundus vtérque tuis.
Sic in ſpem imperij, cùm cerea caſtra mo-
Magno per auras proximus (uetur,
Rex minor ire ſolet:
Nec dedignatur populos, animáſq; mino-
Lætóque turbam ſupplicem (res,
Arduus ore videt

AD ANTONIVM S. R. E. Cardinalem BARBARINVM procurandæ Paci ad principes Legatum.

ODE II.

DEſcende cœlo, Pax, ſuper æthera
Quæ nuper alis vecta volucribus,
Vrbes reliquiſti tumultu
Attonitas, fugiens atroces
Mauortis iras, ſignaque Rhętiis
Quæ viſa nuper vallibus, Italas
Vrbes canoræ bellicoſo
Ære tubæ, lituíſque terrent.
Reuiſe terras, & pauidas metu
Gentes amico lumine recrea.
Quo languidas ſeu ſole verno
Spes refoues, animiſque mæſtis
Mæroris atri nubila diſſipas.
Reuiſe terras: Te reuocat tuus
Antonius, Patris Latini
Imperio, & pietate pollens:
Cui larga fandi gratia, & aureo
Facunda manat copia flumine;
Nec imperita lingua ſæuis
Duram odiis prohibere mentem

Hostis cruenti, vel capulo manum.
Ille & superbos imperio duces
Compescet, iratosque Reges
Consilio precibúsque flectet.
Tu nuda durâ tempora casside
Ramis Oliuæ mitibus interim,
Cinges: Honestæ tu quietis
Illecebras animis reduces.
Tu Christiani sanguinis ensibus
Demes saporem: Tu moderaberis
Auriga currus, ac superbum
Pacifico iuuenem triumpho
Per ora vulgi gentibus inferes:
Lentóque ramo Palladis increpans
Segnes equos, strata incruentis
Arma rotis animosa franges.
Bellona toruis cincta furoribus,
Et Mars riualem Threiciam petet,
Rotásque nostrâ cæde turpes
Odrysio relinet cruore.
At nos amico pacis in otio
Promissa nuper vota fidelibus
Reddemus aris: tum parenti
Romuleo facilem senectam,
Annósque multos ritè precabimur
Ter manè claro, terque iterum pigras
Cùm iam propinquâ nocte iunget
Luna polo reditura bigas.

AD DIVVM ROCHVM
ODE III.

Diue salutari quem tellus Itala signo
Fugare morbos sensit efficacem;
Sæua coërcētē medicâ cùm vulnera dextrâ
Ignaua fugeret, sed coacta pestis

Numinis

Numinis imperio trepidásque afflare veneno
Non ausa ROCHO præside aura gentes.
Diue, peregrinas largo quis munere terras
Donas salutis: quid tuis auarus
Auxilio cessas patriam releuare precantē?
Nec vota populo supplicante, duram
Nec feriūt aurem suspiria, gutture anhelo
Arentibúsque faucibus remissa?
(Ah! prohibe pietas ne quid temeraria peccet,
Neu lingua superos culpet innocentes)
Obsessū hęreticâ certè sed Pellice Mōtem
Iam LVDOICO vindice occupauit
Casta fides, arisq; pios tibi ponit honores,
Et patria luctu pertinace alumnum
Inuocat Indigetē. Tu mitior annue votis;
Aurâque tandem puriore, pestis
Cesset Arecomicos populari funere Volcas.
Donando Numen aut fit, aut probatur.
Vix sterilis floret pietas; gratisque colēdæ
Spernuntur aræ, & infrequens acerra
Parco thure calet: nec curat vulgus auarū
Illiberali supplicare cœlo.
Spes paruo redimit magnas, aut magna pericla;
Dum donat, astris terra fœneratur.

SIGISMVNDI POLONIÆ Regis Trophæa.

VIRTVTVM ACIES SVB Sigismundi signis pugnat.

ODE IV.

Diua, subiectas dominâ coronas
Quæ manu spargis, soliísque gaudes,
Aut adoratis populo minori
Ludere sceptris.

Diua

Diua, quam rebus trepidis pauentes,
Ambiunt Reges, & emace voto
Ducit in partes facilem moueri
Miles iniquus,
Quæ ſimul curru volitans ſecundo
Caſtra luſtraſti, placidáſque viſa
Ire per turmas, vel amica dextra.
Tollere ſigna.
Ilicet campo fugiunt, latentes,
Grandibus tecti clypeis timores,
Et Metus vani generoſa circùm
Signa volantes.
Ilicet vires redeunt, amórque
Martis inſani; cupiduſque laurum
Morte vænalem rapuiſſe gliſcit
Mentibus ardor.
Perge bellaces animare turmas,
Vnde Mars ortus: neque iam POLONIS
HOSPES IN CASTRIS, vbi te ſodalem
Horrida Virtus.
Et triumphatos celebrare Turcas
Læta ventoſo vaga Fama curru,
Et coronali ſequitur ſuperbus
Fronde Triumphus
Dum SIGISMVNDO violẽtus armat
Omnibus ripis TANAIS cohortes,
Et Dahæ THRACVM maculoſa[illegible]rgent
Arma cruo[illegible]
Regium ſtipant latus, irrep[illegible]
Crine formoſus labor, & futu[illegible]
Mens ſagax auſpex, & adulta b[illegible]
Conſilij vis.
Quem fatigatum modò Sol diurna
Ipſi iam feſſus ſimili labore
Vidit, hunc cernunt vigiles mouentem
Sidera curas.

Lucis

Lucis in partem miserata longos
Fratris errores venit, Indicúque
Dum latet ponto, vacuum pererrat
Cynthia cælum.
At SIGISMVNDVS vigil obstinato
Torquet insomnes animos tumultu,
Nec vices mutans iubet imperatos
Vincere somnos.
Larga deuoti Pietas cruoris,
Et Fides nullo violata fuco,
Et Tenax æqui, scelerúmque vindex
Castra sequuntur.
Tanta VIRTVTVM tibi dum POLONIS
Militat CASTRIS ACIES, propinque
Terror Europæ tibi cessit vni
Thracius hostis.
Nec minax vltra pharetra insolenti
TARTARVS, laxo famulatur arcu,
Aut pigras inter mediatur alta
Otia syluas.
Ibat Hybernæ similis procellæ
Arctici victrix acies Tyranni,
Et cruentandus Scythicis fremebat
BOSPHORVS armis.
Qualis in rupes fremit, & minaci
Ister vndarum cumulo, minorum
Fluminum diues spoliis, Apriles
Colligit iras.
Ni SIGISMVNDI generosus ardor
Intumescentes propè funerandæ
Littus Europæ tenuisset alto
Obiice fluctus,
Empta virtuti modico cruore
Vilior laus est: melióque magnam
Impedit frontem grauiore laurus
Empta periclo?

Quo

Quo tuum, PRINCEPS, reditū triumpho
Mæsiæ valles, Hypanisque toto
Alueo liber celebrent, & aurea
Phasidis ora?
Dum tuos VICTOR Getica reuisis
Cæde formosus, spoliisque Thracum
Altior, læto populos frementes
Aspicis ore.
Qualis iratis facibus rebelles
Tartaro turmas vbi misit vltor
Cælitum, cinctus superis ouantem
Intrat Olympum.
Læta iam tuto spatiata cœlo,
Astra decedunt, Salióque more
Ignibus festis agiles choreas
Sydera ducunt.
Quas tibi moles Pario labore
Ponat Arctoæ monumenta cladis
Fama, seu mauis Scythico triumphos
Marmore signet?
Illa per fastos memores sacrabit
Nomen æternis titulis, tuámque
Inde virtutem noua Posterorum
Mittet in ora.
Hoc habe pulchri pretium laboris,
Frigido viuas cineri superstes,
Grata quem pubes, populúsque longo
Eximet æuo.
Nec LADISLAVS pauidos in hostes
Fulminat magno leuior Parente,
Dum Patri sese probat, & paternas
Exerit artes.
Quantus armato metuendus astro
Surgit Orion, timidámque plebem
Siderum terret, rutilúsque stricto
Fulgurat auro.

Fessa bellorum tibi tradit vltrò
Regna fœlici moderanda sceptro,
Et pharetratas animosa mittit
Moschua turmas.
Hoc tuæ, PRINCEPS, satis est iuuentæ:
His rudimentis populos regendi
Patrias artes, & auita disce
Sceptra mouere.

VICTORIA SIGISMVNDVM coronat.

ODE V.

Ad arma, ad arma milites, ad arma:
Pauidis seges horreat ærea campis;
Cassis amœno horrore, iubáque
Fluctuet ancipiti;
Et facilis colludere vento,
Nutu minetur hostibus.
Terribili sonitu litui fragor
Ære canoro cieat Martem,
Bellíque minas acuat cantu.
Ad arma, ad arma, ad arma.
Inauspicatos excitat impetus,
Et Concanorum, plus vice simplici
Osmannus expertas cohortes
Fraudibus Odrysijs lacessit.
Patriæ vindex pietas decoras
Vrget in cædes, animásque magnæ
Prodigas vitæ rapit, impiísque
Obijcit armis.
Ad arma, ad arma milites, ad arma,
Ærea terribili tuba murmure
Cieat Martem, bellíque minas.

Ad

Ad arma, ad arma, ad arma.
Nocturna signis turpibus insidet
Fraus, imbecillo cui comites gradu
Iunguntur ignaui Timores,
Et trepidas acies oberrant
Pugna probrosas latet inter vmbras,
Nec diem testem patitur; sed altâ
Conscios tendunt oculos cruenta
Sidera nocte.
Ad arma, ad arma, milites ad arma.
Ærea terribili tuba murmure
Cieat Martem, bellique minas:
Ad arma, ad arma, ad arma.
Sed iam recedunt agmina Bistonum,
Aut arua mordent immiserabiles,
Frustráque fortunam priorem
Æmathijs lacrymantur armis.
Iam LADISLAVS vacuus pericli,
Barbaro lætus potitur triumpho,
Iamque VICTRICES AQVILAS,
POLONA hastilia tollunt.
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti;
Fugite, fugite celeres equitum cunei.
Ædones, Bistones, Moschui, Tartari,
Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Instat citati fulminis impetu,
Et nube missis ignibus acrior
Miles Polonus, & morarum
Impatiens furit ante pugnam.
Qualis Elæo sonipes in aruo
Lętus absentem cauat vngue campum,
Sic eques strictis violentus armis
Ardet in hostem.
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei.

Ædones, Biſtones, Moſchui, Tartari,
Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Vos caprearum turba fugacium
Fractis Leones cornibus aggredi
Audetis, imbellíque fronte
Ore auido peritura turba?
Quò furor mentes agit, inſolénſque
Martis inſani rabies? quis ardor
Signa conuellens, Rhodopen ſiniſtro
Numine tentat?
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti,
Fugite, fugite celeres equitum cunei.
Ædones, Biſtones, Moſchui, Tartari,
Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.
Iam nec latebris, nec locus eſt fugæ
Ignaua Turcæ pectora: nil iuuat
Hoſtem experiri fraudulentis
Conſilijs, tacitáque nocte.
Iam recedentes vbi Sol tenebras
Eximet cælo, dominata campis
Threſſa languebit, dubióque cedet
Cynthia cornu.
Fugite, fugite, fugite pede præcipiti
Fugite, fugite celeres equitum cunei
Ædones, Biſtones, Moſchui, Tartari,
Barbari:
Fugite, fugite Tartari, fugite Barbari.

IO TRIVMPHE.

Dicite io, bis io, ter io triumphe,
Vos animæ fortes, vos nati ad bella
POLONI.
Carpit Idumæas felix Victoria palmas,
Fortiáque Æmonia circumdat tempora
lauro:

Dicite

Dicite io, bis io, ter io triumphe.
Odrysias acies, debellatósque Gelonos,
Et coniuratas Europam adiungere victis
Olim Asiæ, Libyésque plagis iam dicite fractas.
Threiciam, Æmathiámque; & formidabile regnis
Osmanni nomen, & Thressæ cornua lunæ.
Dicite io, bis io; ter io triumphe.
Dum Phasim veterem, & famosam vellere Colchon,
Ismaráque, & Rhodopen, & quidquid Vistula lætis
Amplexatur aqnis, aut Vilia flexibus ambit,
Fama SIGISMVNDI doceat celebrare triumphos.
Dicite io, bis io, ter io triumphe.
Fama LADISLAO ter io cane; tuque Parenti
Fama SIGISMVNDO ter io cane; vosque Poloni.
Dicite io, bis io, ter io, triumphe.

PIETAS SIGISMVNDO triumphum adornat.

ODE VI.

ET messes Arabum focis,
Et nimbos Cilicum, & diuitis Indiæ
Fruges adde POLONIA.
Et promissa diu solue fauentibus
Diuis vota memor, neque
Fraudentur meritis templa vaporibus

Non iam milite Tartaro
Desolata gement arua Valachiæ,
Nec pulsata equitem exterum
Tellus Barbarica sentiet vngula ;
Nec victus toties Scytha
Viset sanguineæ rura Podoliæ ;
Et campos memores fugæ ,
Lassis vrget equis dum stimulos Pauor
Thressum post equitem sedens :
Ignauique metus terga fugacium
Obuerso clypeo tegunt.
Tunc, Osmanne, tibi dura necessitas
Hanc vocem, & pudor extudit.
IMBELLIS volucrum turba fugacium
Pugnaces aquilas (nefas !)
Vltrò prosequimur , vanáque prælia
Vncis ludimus vnguibus.
Signis antè quidem Semiuiri Phryges
Cesserunt Othomannicis :
Et quondam ingenijs Græcia nobilis,
Et mitis Paros , & manu
Imbelles Tyrij, quique Corinthio
Vndarum arbiter insolens
Isthmus, bina, iugo diuidit æquora ;
Lunatásque vehens rates
Fœcundus subita Nilus adorea
Captiuo fluit alueo ;
Et quidquid Lybico clauditur æquore,
Arctoo premitur iugo.
At non & simili Marte POLONIA
Tentanda & iuga Carpathi
Et deuota neci pectora liberæ ,
Audacésque mori Ædones:
Aut duris Rhodopes cautibus editus
Miles Sidere Martio.
Non iam Sarmaticas exuuias meis
Delubris

Delubris voueo, neque
Currus ſanguineos cæde POLONICA,
Capta mergere Viſtula.
Quod ſi fata ſinant, & bona fortibus
Cælo numina conſulant,
Victrici galea iam meus hauriat
Rhenum miles, & Albula
Captiuo Geticas ſentiat alueo
Naues ſanguine decolor,
Et quæ belligeræ cunque Poloniæ
Gens vltra Tanaim iacet.
BELLO SOLA MORA EST, SOLA POLONIA.
Sed quid ſpem modò transfugam
Fruſtra ſollicito? & facta Polonicis
Coniurata cohortibus?
Vltra ſola fuga eſt, ſi miſeris fugam
Fortuna, & pudor annuat.
Hæc inter lituos dum lacrymabili
Thrax deflet querimonia:
FELICES AQVILAS, & toties Scythæ
Notas Sarmata promouet.
Tunc virtus Zephyris vecta iugalibus
Inſtructas acies adit;
Et magnas patrijs viribus aggerat
Mentes, atque capacia.
Non ignobilium pectora vulnerum
Implet ſanguine Martio.
Et dura patriæ mulcet amor manu,
Formoſóque periculo
Contemptorem animum funeris aſperat.
At currus ſuper & rotas
Plaudens læta iubis colla comantibus,
Exhortatur equos Pauor,
Aut lucem gladijs addit ahenеam,
Aut pinnas radiantibus

Componit galeis, duráque nobili
Ludens arma quatit manu.
Sic pugnes Superis in profugos Scythas,
LADISLAE, fauentibus,
Sic vincas Superis, ô patriæ decus
LADISLAE, volentibus.
Post victas acies, atque Othommanico
Tinctum sanguine Bosphorum;
Currus cùm dominos vtraque senserit
Serui ripa Boristhenis:
Per strages medias, armáque fortibus
Erepta arduus ambula:
Et partam meritis sume superbiam;
Dum conus galeæ minax
Victum Thraca iubis altior increpat.
Aut lassum vacuo caput
Deponas clypeo; & quæ prius hostium
Tinxisti gramina sanguine,
Somno iam placidus pacifico premas.
Dum pulchrum reuehens diem
Fictâ grata quies Martis imagine
Iam secura pericula,
Et vanos strepitus misceat insolens,
Et currus, & equos sopor.
Mox per frugiferæ rura Podoliæ,
Faталésque Getis agros,
Quà nunc Odrysio sanguine pinguior
Campus cædibus horruit,
Quà nunc cæde noua luxuriat seges;
Mauortis spolijs Ceres
Gaudens, Bistonijs demetet ensibus
Maturam segetem, & Scythes
Flauentes calamos discet acinacis
Sicco scindere vulnere.
Et scuta ouiparas excipient aues:
Aut acris litui immemor.

Carmen

Carmen pacificum garrula ab hoſpite
Caſsis diſcet hirundine:
Quæ cæſi capitis plena Podolicis
Campis voluitur, & minor
Criſtis mobilibus mæret inutilis.
Sic ſic REGIA ſanguine
Creſcet fertilius barbarico SEGES:
Atque inſignia principis
Frugis ſanguineæ purpura veſtiet;
Fœcundiſque noualibus
Maturam ſegetem gloria demetet.
Et mandata fidelibus
Sulcis flaua Ceres fœneris annui.
Vſuram agricolæ dabit
Reſpondere tuis fida laboribus.
Hac ſementis adorea
Armato agricolæ ſceptra virentia
Surgent, & diademata
SIGISMVNDE tuis apta nepotibus.

RELIGIO SIGISMVNDO aras promittit.

ODE VII.

QVem bellicoſi prodiga ſanguinis
Bellona Marti cunque probauerit,
Et patriam obiectu cruenti
Pectoris eripuiſſe ſortem,
Periculoſam cùm mouet aleam
Fortuna rerum mobilis arbitra,
Signarit, & frontem ſuperbis
Vulneribus memorem duelli.
Hic longa fiet fabula poſteris;
Hunc inuidendum fama nepotibus,
Proponet exemplum, memórque
Perpetuo

Perpetuo celebrabit æuo.
Prius senectam marmora sentient
Mentita vultus, orâque fortium:
Aut æra, quæ spirant, parentum
Laurigeras imitata frontes.
Hac arte vincet liuida sæcula,
Fugâmque longi temporis, Arctico
Clarus SIGISMVNDVS triumpho,
Et patriæ pater, atque Tutor.
Cui fraudulentis artibus Ædones,
Tandémque fido milite Concanus,
Et Tartarus velox pudenda
Versa fuga exhibuere terga.
Te REX, sed olim patria, post quater
Emensa magni sæcula Nestoris,
Inter POLONORVM Sacratis
Indigetes numerabit aris.
Viuet superbæ fama POLONIÆ,
Viuet POLONI gloria nominis,
Viuet IAGELLONVM vetustus
Sanguis, & imperio paterno
Fatale nomen. Quem modò Bosphori
Videre ripæ, Thracáque flebilis
Phalangas hostiles prementem;
Dum patriæ, populique vindex
Virtus, honesto læta periculo
Densos in hostes tela per & minas
Immittit audentem, fugátque
Dura super vacuos timores.
Dum castra densis oblita cædibus
Furor cruenta nube superuolans,
Et præ LADISLAO minaci
Bistonias acies fatigat.
Qualis cometes sanguineum iubar
Spargens, minaci lumine fulgurat
Abominati Martis ardens

Nuncius,

Nuncius, horribilísque pugnæ
Exterret vrbes. Heu! quibus horrido
Cruentus igni nunciat hostium
Turmas? quibus regnis, quibusue
Bella famémque minatur aruis?
Talem LADISLAVM agmina Thracia
Videre, quando fulmine sæuior
Ibat per obstantes cateruas
Æmonio inuiolatus arcu.
Non tutiotem præstet aheneo
Lorica textu, aut vnguibus horrida;
Non arte Vulcani gementes
Passa Chalybs, Steropas, vel Ætnæ
Recocta, flammas quæ tulit: altior
Quàm quem tuetur numine prospero
Virtus, & immissi volantes
Auxilio Superum manipli.
Deuota ferro pectora Thracio,
Hostémque iuratum exitiabili
Frustrà Sacramento paternis
Auspicijs animosus vrge.
Vrge Scytharum terga fugacium,
Et mœsta Lunæ cornua Thraciæ
Iungi veta, quæ iam maligna
Luce micat, tenuíque cornu
Sublustris, antiqui imperij decus,
Et spes caducas deserit occidens:
Septémque iam soluit Triones
Cassa metu Geticósque montes.
Post hæc Orontes, aut gelido Ladon
Lauet fluento Bistonias rotas
E strage fumantes, & arma
Odrysia maculata cæde.
Turcis nec vltrà seruiet altera
Formidolosi ripa Boristhenis:
Sed Barbaris velox Lycormas,

Limes

Limes erit, trepidúsue Cydnus.

FAMA SIGISMVNDO æternitatem pollicetur.

ODE VIII.

AGE præpeti volatu,
Age fama, ſcinde nubes:
Famulantibúſque nimbis
Zephyros citatiores
Meliore linque curſu,
Aquilonibus proteruis
Ocyor, & pigro ſurgentes aëre ventos.
Age Diua, ſcinde nubes:
Et vtramque viſe partem,
Orientis, & cadentis:
Via quà citata Solis
Celeres rotas fatigat,
Geminúmque Phœbus axem [luſtrat.
Circuit æterníſque laboribus æthera
Age Fama tende pennas,
Zephyros præi volantes.
Age Fama ſolue linguas,
Age, & ora pande centum
Merita loquacitate:
Tibi ſi patent tot ora, [plumæ.
Quot vigiles oculi, quot sũt in corpore
Age Thracíos furores,
Age Regios honores,
Prohibe tubis ſilere;
Neque victa laus ſenecta,
Et inerte nube tecta
Scythici indices triumphi
Odryſias olim doleat marceſcere lauros.

Age.

Age, garrulæ canenda
Ita semper; & stupenda
Noua suppetant: nec vnquam
Taciturnitas molesta
Tibi claudat ora mœsta;
Oculósque curiosos
Sarmaticæ semper virtutis imagine [pascas.
Age; Bosphorum rubentem,
Age Vistulam calentem
Scythico cruore narra.
Cane Tartaros fugaces,
Cane Sarmatas sequaces;
Celerésque dic POLONOS
Crescentem Odrysio Lunam minuisse
Tyranno.

AD
ARNALDVM BOHYRÆVM
Elegiarum Scriptorem.

ODE IX.

PINDI gloria Gallici
Arnalde egregio carmine nobilem
Quem vatum Aonio choro
Musæ, liuor edax quas timet, & potens
Æui gloria miscuit.
O quis Dædaleo tutiùs Icaro
Audax te Zephyrus vehit,
Fidentem rapidis alitis ingenj
Cùm pennis furor Entheus
Supremis animum nubibus inserit:
Præclarè temerario
Nisu cùm vacuum tollit in æthera
Seu notos Erebo canis

Vagitus

Vagitus pueri, & rupis inhoſpitæ
Notam cælitibus ſpecum
Seu Chriſti meritâ funera næniâ
Defles, & trabis arduæ
Pondus vile Deum flebilibus modis
Luges: aut reducem polo
Cinctum orci ſpoliis ad patrium æthera
Claro luminis eſſedo
Chriſtum, & quadriiugis nubibus euehis
Tu puræ niuis æmula.
Aptas virgineis lilia frontibus;
Et ſi qua altera clauſerit
Mentem fæmineo pectore maſculam.
Tu clarum excidium canis
Damnatæ Solymes, & Babylonio
Frontem ſuppoſitam iugo:
Et matrum lacrymas, oráque Virginum
Fletu humida concinis:
Fumantis patriæ dum tepido ſinu
Collectum cinerem efferunt.
Euphratíſque citi barbara littora
Laſsis corporibus premunt.
Incenſæ attonitis vrbis imaginem
Fingendi dolor artifex,
Et diris referunt ſomnia noctibus.
At poſtquam tumidum ſuis
Auxerunt lacrymis fluminis alueum,
(Vnum quod ſupereſt malis)
Fruſtrà iam arida fletu ad miſerabilem
Vertunt lumina patriam;
Cui ſe fata volunt eſſe ſuperſtites:
Dum mutæ chelium fides
Ventis mobilibus lugubrè pallidas
Suſpenſæ ad ſalices gemunt;
Feralique premunt plectra ſilentio,
Et captæ Solymes pijs
Reddunt

Reddunt consona suspiria fletibus
Tu vitæ puerum rudem
Æuo qui fuerat viuere dignior
Cælo inscribis Iapona ;
Ensem qui modico sanguine barbarum
Tinxit lactea victima.
Nec damnata Venus, nec Veneris puer
Vllam implent tibi paginam.
Nec Myrto Idaliâ Pieriam comam
Curas cingere , sed pius
Albis casta premis tempora liliis.

AD CLAVDIVM A SANCTA Columba.

ODE X.

CLAVDI, sollicita rude
Qui pectus puero sedulus artifex
Formasti mihi dexterâ :
Et mentem studiis nobilioribus
Auxisses etiam ; nisi
Me calcare niues Alpibus additas,
Et Romæ superi velint
Antiquæ laceram visere imaginem :
Ac magni Capitolij
Nunc vmbram tenuem, nec titulis parem
Vrbem ; quæ, vetus vt lapis
Ignotum cinerem principis vrbium,
Et seruat fugientibus
Æui flagitio nomina litteris ;
Quæ famæ inuidiam facit
Ac laudem historiæ detrahit. Interim
Dum tu Tectosages pios ,
Dum claram rutilo murice curiam
Torrente eloquio rapis ,

Aut

Aut victis animis mollior influis.
Nam quod prodiga nectaris
Sacris lingua docet vocibus, efficax
Dicentis peragit manus:
Et posse id fieri, quod facit, approbat,
Facundíssimque silentium
Blandâ corda mouet voce disertiùs,

AD

IACOBVM BIDERMANNVM.

ODE XI.

SEMPERNE versus immeritos mori
Iniurioso, dure, silentio,
Cæcisque suffocans latebris
Nocte premes tacita? politum
Morosa carmen dum repetit manus,
Ætas citato lapsa fugit gradu,
Et carminis pigri morantes
Hora pedes fugitiua ridet.

AD

S. FRANCISCVM XAVERIVM
Indias petentem.

ODE XII.

BELLVOSA Tethyos
Per regna ventos institor secutus,
Patrios fugit lares,
Nouósque quærit littorum recessus:
Credulúsque plus satis

Ridentis

Ridentis vndæ fluctibus quietis,
Perfidis Etesijs
Spe quæstuosâ plena vela tradit.
Quæ simul phrenetico
Flatu insolentes Africi retorquent;
Naufragæ cùm Ionicis
Equitant per vndas nubibus procellæ;
Vota fundit irrita,
Indósque frustrà culpat innocentes.
Tum sui periculi
Obliuiosus, tantùm opes auaro
Plorat additas mari,
Addendus ipse, quando fessum hiulcæ
Soluerit ratis latus
Contaminatæ mentis vnda vindex.

AT te in arua Iaponum
Nostróque sinas littori reuulsos,
Vltimam ad Canariam,
Primæque lucis conscium cubile;
Caffarésque inhospitos,
Afrisque Mauros solibus recoctos
Non cupido sordida
Inuitat, auidi non fames metalli;
Quisque gaudet impudens
Certare stellis fulgor vnionum;
Quos auara fluctibus
Natura frustrà condidit, vel altis
Montium pressit iugis,
Cæcísque prudens obruit cauernis:
Atque iter periculis,
Et morte cinxit turpibúsque laruis.
Sed quid obstet iniquum
Cupidini, aurum quæ petat vel orco?

CVRA sanctior ratem,

(Quæ te, & tot vnà gentium salutem
Portat alueo capa-
ci, Audétque terras quærere irrepertas)
Cura maior impulit.
I tuta Ponto naufrago carina:
Aura te poli vehit,
Fidésque fertur abscidisse funem:
Spesque duplici anchorâ
Pinum reluctantem æstuante ponto
Firmat. Et vigil Salus
Dextrâ gubernat efficace clauum
Quid vadosa Syrtium,
Symplegadásque quid reciprocantes,
Quid maris fidem times?
Cùm vela cæli spiritu intumescant,
Remigésque Cælites
Foros per omnes, perque transtra currant?
Si tibi Arctos occidat,
Regent, ratis quæ portat, astra cursum.

AD

BASSIANVM GATTVM,
qui vitam Mariæ Scotorum
Reginæ carmine conscripsit.

ODE XIII.

REGINAM melioribus
Exemplum poterat quæ dare sæculis;
Et cui fæmineum impulit
Non vni imperio par animus sinum;
Quæ quondam caput arduum
Non flexit triplici sub diademate;
Heu! sortis temerariæ

Clarum

Clarum ludibrium! ſanguine regio
Faſtis appoſitum nefas;
Fortunæque ſcelus nobile! & impiam,
Æuo quam memori notam
Longi nulla dies temporis eximet,
Ingratúmque ſilentium,
Defles ore pio Deucalidoniæ
Gatti gloria Scotiæ;
Muſæ dum Phrygiâ flebilibus modis
Plorant funera næniâ;
Quæ dextrâ poſito pectine ſæpius
Inuitis oculis pias
Abſtergent niueo pollice lacrymas:
Et mœſti miſerabili
Concentu gemitus filáque conſonant.
At quicunque piâ pium
Gatti in aure ſonum pectinis excipit,
Indigna immeritæ mori
Deplorat Mariæ fata: Sed interim,
Cui mors impia regiam
Ceruicem ſecuit, hanc modò regio
Gaudet viuere carmine;
Et iungit lacrymas, ſi nequeat chelin.

IN EBRIETATEM.

ODE XIV.

NOCTEM inter ciathos, & metuentia
Vndæ coniugium tangere pocula;
Et longa intrepidum nomina, grandibus
Muſarum ad numeros vertere cantharis,
Mandorane, vetat te ſopor impudens
Bifrontis ſenis; & ſeruitio graui
Damnatus reliquis cum ſobole impiâ
Infamis Chamæus fratribus obſequi;

Callosámque manum iura ligonibus
Fissuris dare duro impiger otio;
Armorum studio ignobile vulgus, &
Arcendus vetitis relligionibus
Noëmus senior, sicca minoribus
Cùm riuis iterùm littora creuerant,
Primus connubij fœdere liberas
Vlmos coniugibus nectere vinculis
Tentarat; vacuo cùm priùs aëre
Ignauis tegerent gramina pampinis;
Cùm ramos steriles luxuriantia
Sarmenta, & virides erigerent comas.
Mox curâ facili dulcia languido
Pressit musta lacu, & nectar amabile
Frontem sollicitam porrigere efficax,
Ac sopire graues sollicitudines
Vndis ingenuis miscuit, & rudes
Fauces non solitis fontibus imbuit.
Quid Baccho liceat credere? nauitam
Humani generis, tot modò gentium
Seruantem pelago relliquias breues,
Mundi naufragio cymba superstitem
Naturæque senem, quem placido sinu
Seruarat, vacuis tot regionibus
Tantorum populorum imperio parem,
Securúmque sui purpureo obruit
Vinum diluuio, mergere perfidum
Iactari placidis fluctibus ebriam
Mentē. Qui modò tanto intimidus ratem
Et clauum pelago nauita rexerat
Angusto dubius fluctuat in scypho,
Et mergi metuens, & propè mergitur
Hauritúrque vadis. Num gemino mari
Num toto Oceano diluerat satis.
Iracunde tuam, Bacche ferociam?
Sic rerum in medijs fluctibus arduum
Quæ

Quæ cursum tenuit, tot modò Syrtium
Vitatis animi cymba periculis,
Vitrorum ad scopulos hæret inutilis,
Et vix vi placidum naufragium fugit.

AD GAVRVM NOBILITATIS ostentatorem.

ODE XV.

ELATAM inani, Gaure superbiâ
Demitte frontem; nec patrium genus
Iactes ab vsque Pharamundo
Aut Paride Iliaco petitum;
Quem mixta verò fabula Gallici
Fundasse sedem tradidit imperî, &
A Patruo denominatos
Parisijs posuisse muros.
Si primam auorum quæris originem,
Tandem ad parentem deuenies humum,
Et stirpis antiquæ supremum
Inter auos nihilum priores.
Nec nata tecum purpura regio
Te vagientem murice vestiit
Nudos vt artus attulisti,
Ad tumulum referêre nudus.
Auita crescant arua decempedis
Metata iniquis, Spes auidas tibi
Natura circumscripsit arcti
Quinque pedum spatio sepulchri.
Hac vasta crescant vota tenus licet;
Vltrà nefas est velle: neque Attalo
Minus neque Artaxerxe terræ
Irus inops minùs occupabit.
Hic pompa scenæ ludicra diuidit
Partes, & addit nomina; fabulâ

Sed iam peractâ ad ludum eundem
Deposito redeunt cothurno,
Seu fortè Dauum, seu Priamum egerint:
Exin pares sunt: Et socio agmine
Mixtæque pullis purpuratæ
Funeribus spatiantur vmbræ.
Namque ex eodem nos figuli manus
Formauit omnes puluere; pauperum
Nec viliore, diuitúmue
Membra luto meliore finxit.

AD MANCIVM CONISIVM in patriam Iaponiam abeuntem.

ODE XVI.

CRVDELES Zephyri te, melior meæ,
Mâci pars animæ, quò vocat impetus
Missus cælo, Italis finibus abstrahunt:
Iámque aura impatiens moræ
Nauim sollicito littore dimouet,
Amplexúque meo diuidit Indico
Quæ debet pelago reddere creditum
Fido Iaponibus sinu.
Ah! te tincta tuo sanguine purpura
Tendentem rigidis colla securibus,
Aut Solis radijs pulchrior igneâ
Clarabit face Martyrem
Sacræ flamma pyræ. Qualis in æthera
Inuectum placido fulminis essedo
Thesbytem rapuit currus, & igneis
Aurigam similem rotis.
Nec tunc (Spero) tui magnâ animâ ferus
Gilberti immemorem dissoluet rogus;
Nec promissa fides, & toties mihi
Iurati superisinant.

Aris

Aris spontè cades victima nobilis,
Nos viles animas interitus manet
Obscurus, tacitâ qui timidos mori
Tandem condet inertiâ.

AD ANTONIVM MANGILIVM.

ODE XVII.

SEV rursum Allobrogum niues,
Calcandæ mihi sunt, & trepidantibus
Alpes attonitæ iugis
Seu portus relegens prora Ligusticos
Fido me reuehet sinu
Francis littoribus, cum Tyberin meo
Mutabo Ligeri, & Padum
Veloci Rhodano, ruráque Vasconum
Inuisam, aut Gabalum nemus
Nunquam (vos Superi testor) amabile
Nunquam mente mihi excidet
Nomen Mangilij: quem penetralibus
Admisit sapientia,
Arcanísque adytis: vnde recondita
Romæ oracula diuidit,
Et me sollicitis detinet auribus;
Dum primariam ab æthere
Humani repetit iuris originem:
Cuius semina mentibus
Nostris indita non bellum odijs furens,
Cæcus non amor obruet,
Non dignæ laqueo cura pecuniæ:
Puris aurea dum polo
Ostendent geminæ sidera noctibus
Lances: dum sociabiles
Nectent mobilium fœdera gentium

Terris mitibus insulas;
Innatúsque feras inunget amor tygres,
Lynx dum lyncibus innocens
Apponet maculas, & lateri latus.
Audes ter triplici sequi
Cæléstes acies ordine diditas,
Ignauam fugiens humum,
Vectásque innocuo fulmine spiritus.
Tu me dulce tegi doces
Panis sub vacuâ Numen imagine,
Et vani specie meri;
Spectantes oculos atque auidas piè
Fauces fallere cùm Deus
Sanctâ fraude solet; nec pudet atteri
Casto dente volentium
Docti dum trepido pulueris insolens
Pugnam, concilias mihi
Diuam, quæ scelerum quos benè pœnitet,
Cælo reddere amat; plus
Quam præit Timor, & terribiles minæ;
Atque vdis Lacrymæ genis;
Iratúsque sibi, & turpia sordium
Mœstis pectoribus dolor
Ploratu assiduo diluere efficax;
Et tristes querimoniæ,
Et pullis gemitus vestibus horridi,
Veris iungere conscij
Singultantia suspiria fletibus.
Mitis Diua, piam mihi
Ægro tende manum: nam sibi conscium
Pectus, nec scelerum innocens
Clausas criminibus te sine Cælitum
Me pulsare vetat fores,
Atque ingrata polo tollere lumina.
Vni fas tibi Tartaro
Exemptas animas, Diua, nitentibus

Stellis

Stellis inserere, & poli
Miscere æthereis sideribus faces.

IN AVARITIAM.

ODE XVIII.

ANIMOSIS feriens æquora remis,
Peregrináque remensus freta puppi,
Neque fluctus, neque nimbis equitantes
sequor Euros.
Quid auaris iuuat extendere votis
Modicam spem? quid inani iaculari
Iuuat arcu malè desiderio credula vota?
Neque merces alio sole petitæ,
Neque nostro pretia incognita cælo
Rediment morte, rapaci numerandum
caput orco.
Sibi culti benè mens conscia recti
Laqueum mandat Auerno minitanti,
Et Olympo celeres tuta volatu quatit alas.

IN IRACVNDIAM.

ODE XXIX.

IAM sæua mortis bella Trionibus
Diu minaci murmure detonant,
Atque Italis cędem, & cruoris
Diluuiem minitantur aruis.
Potare Rhenum suetus equus, Pado
Mincique ripis ponere vult sitim,
Enséſne Turcis destinati
Cæde piorum iterum tepebunt
Heu! Christiani sanguinis ebrij?
Nec ira Francos mitior Alpibus

Admouit

Admouit armorúmque promptos
Sanguineâ face concitauit.
Iam toruus horror, iam furor impius,
Et fraus tenebris tecta fidelibus
Et Martis insani tumultus
Insubribus spatiantur aruis.
Ergóne in hostem mitior impetus,
Minórque sæuas ira rapit feras,
Licet fame implacabilísque
Ingluuies stimuletur aluo?
Quando minori fortior eripit
Vitam leoni Marmaricus leo?
Quæ tygridem tygris lacessit
Vnguibus horribilísque dente?
Iam sanctior pax anguibus impios
Amicat angues. Sanctiùs Africis
Colunt arenis virulenti
Fœdus amicitiæ dracones.
Quod occidentem debiliorem aprum
Maioris apri dente videt nemus?
Agnoscit affines suorum
Lynx maculas, variúsque Pardus,
Atque Vrsus Vrsos. Ast homini parum est
Cruore nostro polluere innocens
Ferrum, manúsque herbas nocentes
Et Magicos adhibere succos.
Parum est iniquo fata volantia
Committere arcu; ni tonitru æreo
Armentur iræ, tristibúsque
Diri odiis famulentur ignes.
Maioris humanum est sceleris capax
Quàm belluarum pectus, & immemor
Ortus sui, immortale fraudi
Ingenium scelerísque seruit.

AD IVVENEM VITÆ SOLVTIORIS.

ODE XX.

SEV venæ caleât igne suo, seu tibi Cypriâ
Cor tæda impatiens vrat amor, vel iecur aridum:
Formæ pompa fugax assiduis torreat ignibus:
Nec sæui iaculo nec facibus cede Cupidinis;
Quanquam turba frequens Idalio cesserit aliti;
Seu percussa comis, & roseis Tyndaridos genis,
Seu fortè intepuit purpureo mollis Adonide,
Damnatúmqne nefas vindicibus legibus horruit.
Ne pronæ illecebris, mitte puer fræna licentiæ.
Scis vt fulminei sæuierit dextera Numinis
Irato tonitru, non liciti flagitij reos
Vltrix cùm populos sulphureo flamma volumine
Inuoluit; pluuióque attonitis nubibus arserint
Vrbes igne. Cinis feruet adhuc, & sterilis soli
Testatur facies vasta Deo displicitum scelus
Afflatur graueolens intolerando aura bitumine;
Et quantum fuerit, monstrat odor sulphureus, nefas.

IN

IN ORCAM BIS APOSTATAM.


ODE XXI.

DEVOTA turpi victima Tænaro
Rurſúmque Chriſti transfuga deſeris
Partes Sacramento eierato:
Teſte iterum repetita cælo
Impunè calcas vota, nec impio
Tellus dehiſcit? nec tonitru polus
Afflat mœrentem? nec pudendum
Igne ſcelus, maculámque purgat
Abominandi criminis? I, licet,
I, quo nefandæ flamma libidinis
Te raptat inſanos per ignes,
Et Veneris furor æſtuantis.
Vix Luna cornu ter reparauerit
Auro decorum; longè alios rogos;
Et, nulla quas reſtinguet ætas,
Longè alias patiere flammas.
Ni (ſi qua ſpes eſt) dum miſero licet,
Ni lacrymarum diluuio, ſimul
Nunc mœror extinguat trimeſtris
Tartareas, Paphiáſque flammas.

AD

AD
GARNVM IVVENEM INERTEM.
ODE XXII.

ÆTAS iam melior Garne volucribus
Horis vecta fugit, nec celerem retrò
Curat ferre gradum, & credula posterum
Plus æquò sequitur diem.
Tu marces placido languidus otio,
Tu somno vacuos ire sinis dies:
Labentem vt Rhodanum sollicito rudis
Pastor respicit alueo;
Nec pastoritio fistula carmine
Surdæ sistit aquæ sollicitam fugam:
Phocæum in pelagus littora deserens
Prono voluitur alueo.
Molli vultu aliquid dum retines adhuc
Inuestis pueri, sed propior viro
Dum putas tenero obducere vellere
Lanugo dubitat genas:
Assuesce ingenuis membra laboribus,
Nec duris studium conditionibus
Aspectúsque trucis cura inamabili
Te percellat imagine.
Sic formica, inopi dum senio timet,
Æstiuis cumulat prouida noctibus
Fruges, atque auido condit in horreo,
Quas consumat hyems iners.
Sic visum superis, vt iuuenilibus
Vænalis requies sera laboribus
Prostet; perque vices otia, curáque
Alterno redeant choro.



ODARVM LIBER III.

AD LVDOVICVM S. R. E. Cardinalem Ludouisium.

CVM SANCTVM IGNATIVM *Bononiæ tutelarem optaret.*

ODE I.

PRINCEPS, Romuleo quem gloria vestiit ostro,
Sceptróque dextram, & arduo
Auxit honore caput.
Cui gaudet fortuna sinus implesse capaces,
Mentémque regno haud imparem
Prodiga muneribus:
Cũ verã regeret virt⁹ bene lyncea dextrã,
Et iuris humani potens
Arbitra iustitia.
Namque opibus magnis, animo maiore capacem
Telo coruscus aureo
Sternis auaritiam.

Dum

Dum tibi ſubiectum vulgus famulatur ho-
Dominóſque currus aſſecla [norum;
Sponte fauor ſequitur,
Et Ludouiſio fulgens ſe murice iactat,
Vníque ſeruit, cæteris
Imperioſa cohors.
Perge polum pretio, ſuperóſque laceſſere,
Vænalis auro gloria [namque
Proſtat: emi faciles
Muneribus ſuperi. Nec tuta Bononia
Te, Ludouiſi, præſide; [morbos
Aut ſtrepitum timeat
Armorum, dubiſque inſana pericula Mar-
Stipendiarios habes [tis:
Auxilio ſuperos:
Nec bello indocilem, mollémque Ignatius
Sed iam minacem fulgure [armis,
Tendet ab axe manum.
Noctibus hybernis quãtus ſe tollit Orion,
Armatus auro, & ſiderum
Caſtra minora fugat.

AD S. IGNATIVM, PRO Illuſtriſſimo Cardinali Ludouiſio.

ODE II.

IGNATIANAS iam genibus minor
Multo vaporat thure Bononia
Cliens, adoratáſque labris
Supplicibus calefecit aras:
Quos antè Princeps diuite purpurâ
Sacróque gaudet verrere ſyrmate
Parémque ceruicem Latino
Imperio tibi, Diue, curuat.

Donatus

Donatus astris, quod patruo memor
Debes, Nepoti reddere te decet,
Ac iam redemptum Ludouisi
Et pretio & meritis fauorem.
Serues amico sidere principem,
Et cœpta mentis ardua promouens,
Vrbémque commissósque ciues
Peruigili tuearis astro.
Seu mota septem bella Trionibus
Laxata collo vincula libero
Iactant, catenarúmque tractu
Italiam Eridanúmque turbant;
Curru cruento qui sequitur furor,
Iræque tristes, & scelus, & nefas,
Et terror, & culmos inanes
Dente fames auido remordens
Seu Marte & armis horrida Sequanæ
Formidolosis Alpibus imminet
Pubes, Padúmque Gallicanis
Turbat equis, galeáque potat.
Seu cincta morbis pestis inertibus
Bacchatur; auræ tristis anhelitu
Incestat vrbes, & pauentis
Finibus Hesperiæ minatur.
Adsis vocatus, Diue, clientibus,
Præsénsque amico numine protege;
Aris vt addant consecratis
Vota pio cumulata thure.

AD SANCTVM IGNATIVM.

ODE III.

AVREA Vesperugo
Fulget æternis facibus iam comes ire
Sideribúsque noctem [gaudet:

Iam coronatam, IGNATII nomine sidus
Excubitórque seruat [auget.
Arua cómissa, & vigili respicit igne terras,
Quid violenta Rheni
Bella formidem; aut Rhodani sanguineos
Cœlituum fidelis [tumultus;
Cura si fines Italos Eridanúmque seruet?
Si benè Martiales
Siderum armatis cunei me tueantur astris?

AD STEPHANVM CARLETVM.

ODE IV.

SIDVS nobile Galliæ
Carlete, & placidâ nobilis indole;
Quem casto sapientia
Nascentem gremio sustulit, oráque
Cæli nectare contigit:
Et labra æthereis roribus ebria
Tersit mollibus osculis,
Afflauítque genis gratiam, & igneas
Sparsit luminibus faces;
Frontémque ingenuis auxit honoribus,
Et formam imperio parem.
Nec quo more solet pinguia rustici
Vulgi fingere pectora;
Sed quali, egregiis dum facili luto
Membra Heroibus applicat;
Si quando populis, aut melioribus
Sæclis addere vult decus.
Hæc mentem ingenuis artibus & caput
Finxit pollice Dædalo.
Qualem Phidiacam sensit ebur manum,
Cœlo dum temerario
Naturam studet ars vincere, & inuidâ
Vitam

Vitam claudere imagine:
Sed solers animum industria læuibus
Signis indere non potest,
Aut vocem tacito subdere marmori,
Te moris patrij tenax
Aris assiduum religio tenet,
Dum Regi ac populo Deum
Et multâ superos concilias prece;
Inuictísque cohortibus
Cœlestes acies, & socialia
Diuorum agmina iungere
Curas; dum superis auxiliaribus
Auges Gallica lilia.
Accensâmque nouis ventilat ignibus
Flammam signifer auream,
Et missum socio fulmen ab æthere,
Seu turres tonitru quatit,
Seu campis acies hæreticas fugat,
Atque ignaua rebellium
Iusto colla premit BORBONIVS iugo.
Fœlix! quem modicè arduis
Iactat sollicitum turba negotiis;
Quem portu placido quies
Conseruat mediis fluctibus Adriæ,
In tranquillo animi sinu
Dum nidum pietas Alcyone fouet.

B. ALOYSIVS GONZAGA Romanum Tyrocinium petit.

Pietas captiuum ducit.

ODE V.

FLOREM sanguinis Itali
Gonzagam pietas dura parentibus

Frustrà sollicitis rapit:
Et septemgeminis collibus insolens
Prædam ducere nobilem,
Romano pietas ambitiosior
Ostentat Capitolio:
Mox ardet iuuenis candida libero
Collo nectere vincula,
Mollis seruitij vincula, sed tamen
Quæ nullus soluat dies:
Captiuúmque pio tradere carceri,
Cui custos amor accubat:
Alternúsque timor diluere efficax
Primæ damna pueritiæ:
Votorúmque reis vincla volentibus,
Et dulces laqueos parat.
Sic quondam trahitur Pontificum sacris
Iam deuota securibus
Flores fonte gerens, sertáque & infulas
Aureis victima cornibus:
Quæ gratâ superis morte superbior,
Multi sanguinis ebrias
Aras spontè suâ tingere destinat.
At quàm penè manus puer
Effugit, pietas heu! malè prouida
Et fraudum rudis: arduo
Dum vinctum iuuenem colle Quiritium
Pompâ ducis amabili,
Quà moles humilem despicias humum
Purum surgit in æthera,
Romanísque parem Principibus domum
Ingenti explicata re â.
Sic, sæuas hyemes quæ tulit Adriæ,
Aut Ægæum Aquilonibus
Insanis dubium fluctibus obsequi,
Austrorúmque proteruiæ;
Dum nauis dat amicè oscula littori,
Dum

Dum molli Zephyro subit
In portum, placido mergitur æquore.

PALATII LIMEN.

ODE VI.

AH! Symplegada nobilem
Claris naufragiis prætereuntium,
Et cæcos scopulos fuge.
Primas namque potens ambitio fores,
Et limen tacitum obsidet;
Periurísque palàm pollicitis Dea
Stipatur famulantibus:
Cui thure & precibus turba; sed acrior
Auro curia supplicat.
Spes blando facilis lumine desides
Et nutu illice prouocat,
Tam spondere animis larga petentibus,
Quàm iurata dare immemor
Quæ mentes auidas ludere gestiens
Vmbris detinet aureis,
Et pictis oculos pascit honoribus.
Sic prensant vacuum aëra,
Cùm prædam canibus eripuit fuga.
Sic fraudi faciles aues
Vuarum simili fallit imagine
Naturæ faciem manus
Mentiri tacitis docta coloribus,
Artísque ingenio potens.
At Regina sacris sub penetralibus,
(Quo paucis aditus patet
Nec vulgò facilis) Gloria regio
Ardens vertice fulgurat;
Humanísque oculis grandior aspici,
Et sublimis eburneo

Assurgens solio, sideribus parem
Implet numine regiam.
Cui clari generis fronte gerens notas
Puris adstat honor genis,
Ad nutum imperiosi ire supercili
Non segnis dominæ cliens;
Immunis senio vertere fulgidam
Aut canis niuibus comam.
Cœtu adstat famulo plurima Dignitas
Cultúque oréque dispari:
Pars armis radiat, pars trabeâ nitet,
Pars sacris tumet infulis.
At Virtus generoso ore seuerior,
(Cui sulcata senilibus
Rugis, virgineam molliter asperat
Frontem ætas senij memor)
Nec flecti pretio, nec facilis prece;
Impermissa fauoribus,
Ex æquo meritis præmia diuidit:
Seu Mitris radiantibus,
Seu Diuis Latia proxima Principum
Velat tempora purpurâ,
Aut vittas meritis frontibus implicat.
Et ni iam senior iuuet
Crystallo dubiâ languida lumina,
Nunquam audax fauor, aut dolus
Ambiret tacitis fraudibus infulas:
Nec sacra immeritas manus
Implerent vetitis conditionibus.
Sed mortalibus inuium est
Si clausum tacitis pectoribus nefas,
Numen lumine vindici,
Humanos oculos quod latuit, videt:
Et cordis male conscij
Scrutatur latebras impenetrabiles.

FAVORES.

FAVORES.

ODE VII.

SVB tectis radiantibus,
Et multus vacuo pendet in aëre
Pennis debilibus Fauor
Per fas perque nefas, quò rapit impetus.
Alis nititur aureis;
Fenestrísque procax omnibus insidet,
Risu & lumine perfido
Incautos animos fallere callidus.
Illum scilicet improbis
Spes insana parens imbuit artibus.
Auratis laquearibus
Pennâ non humili plurimus aduolat,
Et curtâ malè tegulâ
Altis sub trabibus nidificans latet.
Non tot cùm reduces vehit
Ver nobis Zephyros, auráque mollior
Vernis solibus intepet,
Non tot læta Paphos passeribus strepit;
Quæ nidos meditantium
Molles illecebras, & malè sobrios
Questus turribus excipit,
Nec raro, trepidis dum petit ardua
Alis impatiens fauor,
Aut duro sociis vngue proteruior
Pugnat, desinere insolens
Aut ponit dubios dulcibus ebrius
Fortunæ vberibus gradus:
Aluo pressus humum deciduâ ferit,
Et risum aspicientibus,
Exemplúmque facit ne volet altius,
Qui habet pennas impares:

Ne det & leuibus ludibrium Notis
Elatámque licentiam
Ne casus grauior deprimat altiùs.

FAVORIS CARMEN.

ODE VIII.

INSANI ilicet alites
Formosi iuuenis purpureas genas
Dum mirantur, & igneïs
Dum spectant oculos sideribus pares,
Neglectæque proteruiam
Formæ non humilē, & grande quod indolis
Alta fronte micat iubar,
Et castis oculis ingenuas faces:
Stipati ilicet aduolant.
Ter plausu modico circū hilares strepunt,
Ter tolluntur in æthera,
Ter molli attonitum carmine prouocant.
O clari generis decus!
Formosum patriæ sidus; honoribus
Cui natura parem dedit
Vultum, & consilijs pectus, & horrido
Finxit telo habilem manum,
Et frontem galeæ, & tempora laureis:
(Ni viles animos Deus
Augusta specie clausit) Amasium
Quem fortuna potens velit.
Quod viles latebras degener aspicis,
Ignauóque silentio
Cælari patiens lumina purpuræ
Patrum dissimilis fugis?
Primi delitias veris, & integræ
Florem ætatis amabilem,
Fortunæque potes carpere munera,

Et

Et cessas? malè credulum
Vanis pollicitis te pietas procax,
Et virtus trahit impudens.
At prudens latebras irremeabiles
Fallacémque caue specum ;
Quæ florem iuuenum Scylla velut nocens
Alto gurgite deuorat,
Amissúmqne diem luminibus negat.
Indignus lacrymis perit,
Qui noto implicuit colla periculo.

CARMEN PIETATIS.

ODE IX.

HOS molli querimoniâ
Dum cantus iterant, & caput innocens
Pennis mobilibus tegunt :
Hæc vocis magicæ blanda pericula
Surdis præterit auribus,
Queis cautâ pietas impenetrabiles
Feras obdiderat manu :
Et mentem indocilem cantibus improbis
Implebat melioribus
E cælo meritis, pectine regio
Iessæam quatiens lyram ;
Tractabat Stygijs fila volucribus,
Et notas Erebo fides :
Quarum vox animum molliter auribus,
Clausæ sint licet, influit
Quàm dilecta tuæ limina sunt domus,
Virtutum Deus arbiter !
Mens desideriis icta potentibus,
Dulci saucia vulnere
Ah ! fœlicia suspirat in atria ;
Ignauámque premens humum,

Et

Et curas humiles, se generosior
Cœlo tollit, & aureis
Pictum sideribus suspicit æthera.
Sic Orpheus cytharæ sciens,
Argo dum vetitæ Leucosiæ fugit
Surdo remige littora
Sirenum illecebris nota nocentibus;
Maiori dominos maris
Intacti superos pectine concinens,
Et laudes meritas lyrâ
Vocali soliiens numinibus piis,
Vitauit mare perfidum, &
Damnauit merito multa dolentium
Sirenum ora silentio.
Nec Thetys Siculi carminis immemor
Mergendas tenuit rates;
Sed Nautis faciles explicuit vias
Mutum littus, & hospita
Iam portu metuens fallere carbasa.

AMBITIO ASCETERII foribus exclusa.

ODE X.

COR telo inuiolabile,
Et mentem solitis fraudibus inuiam
Iam lena ambitio palàm
Incassum Idaliis prouocat artibus,
Audax quidlibet aggredi:
Attrectâtque aliis pectus amoribus
Iam sacrum Paphiâ manu,
Inuitâtque oculis blanda procacibus,
Et nutu meretricio,
Quà fortuna viam monstrat honoribus.
Sed castum iuuenem, parùm
Ætati

Ætati pietas credula, dum licet,
Maturare gradum iubet:
Dum tutis latebris cælet, & otij
Fœlicis penetralibus.
Surdis ambitio poſtibus obſtrepit
Fruſtrà, & pulſat inertibus
Recludi veritas carminibus fores.
(Nam cœli metuens Timor
Septem clauſa tenet limina clauibus)
Dum raucis querimoniis
Serâ laſſa domum nocte reuertitur,
Ignauiſque fauoribus
Iratâ nimium vellit inutiles
Pennas dura parens manu:
Nec parcens pueris illacrymantibus,
Æternum immiſerabiles
Plorare in tenebris turpibus imperat,
Et longâ iuueni pio
Carmen diſplicitum vertere næniâ.

AD ANTONIVM IORDINVM.

ODE XI.

IORDINE, tanti cui cerebrum capax
Natura prudens ingenij dedit
Pectúſque vaſtum diſciplinis
Ingenuis animúmque finxit.
Humana primùm te ſapientia
Filo per omnes ſollicitas vias
Duxit, per anfractúſque cæcos,
Quos varijs tenues ſophiſtæ
Argutiarum flexibus implicant.
Natura nec te deſerüit ſua
Arcana rimantem, & latentes
Materiâ interiore formas.

Seu

Seu iam relictis nubibus igneo
Errare cœlo, seu tibi siderum
Curſus, & errorem erudito
Mens fuerat radio notare:
Iunctíſque flexos cornibus angulos,
Et implicatas ducere circino
Nollente falli, linearum
Ductilium tenues figuras;
Certiſque cœlum ſcindere partibus,
Aut Climatum diſcrimina ponere;
Et quicquid Architas laborat,
Aut Megaræ ſapiens alumnus:
Docere certis tu ſpatijs potes
Signare fixas ſiderum imagines,
Et vera definire ſtellis
Nomina, vel numeros arenæ.
Regum priorum nomina, & impijs
Bellata quondam bella furoribus,
Obliuioſi temporíſque
Hiſtorias memores retractas.
Nec ſomnolentæ mater inertiæ
Mentem ſenectus obruit igneam;
Caníque fronti addunt honorem,
Nil ſtudiis, animóque demunt.
At dum per altos tendere nubium
Audace tractus ingenio paras,
Polúmque inacceſſáſque noſtris
Luminibus ſuper ire ſedes;
Caliginoſam dum reſeras diem, &
Arcana tecti numinis; ac fides
Quicquid Sacramentis recondit
Et taciti penetrare cœli:
Oraculorum grandia te loqui
Oſtro Senatus Palladiæ nitens
Stupet Toloſæ, & clara rerum
Burdegala, Oceaníque littus.

Sed clariorem te pietas facit,
Ætásque nullâ labe notabilis,
Nostróque iam miranda sæclo
Simplicitas referens proborum
Mores auorum: quos modò transfugas,
Certo receptos ni lare detines,
Sinas ad extremos releget
Calliditas, dubiísque solers
Vrbanitas iam proxima fraudibus;
Et ausa claustra irrumpere comitas,
Cœtúsque secretos ab vrbis
Fluctibus & trepido tumultu.
At comitatis tam teneræ rudis,
Nec aulicarum nobilis artium
Franciscus, & cui nunquam Odarum
Smigma genas tetigit viriles.
Indísque adustas solibus; vltimi
Quos ora mundi claudit, Iapponas
Christo subegit, & rebelles
Imperio grauiore fregit.
Non illi Amidas numinis impotens,
Et Iaca rupti iam capitis minor,
Non Bonziorum natio trux
Restitit, aut sua templa texit:
Quin ille torto fulmine sæuior
Durâ Pagodas dirueret manu,
Diuósque probrosos Latinâ
Obrueret tepidos fauillâ.
Si cui sinistrâ parte sinus calet
Auita virtus, & generosior
Inuitat ardor gloriosâ
Oceanum maculare cæde,
Parúmque notis addere purpuram
Et nomen vndis: audeat aggredi
Artes Patrum; informanda primùm
His studijs melior iuuentus,

Ne delicato langueat otio,
Dum verba molles in numeros ligat,
Contenta maiorum ttiumphos
Scilicet, & numerare palmas.

AD ROBERTVM BODIVM Scotum Philoſophiæ, & Medicinæ Doctorem.

ODE XII.

RECTOR vmbrarũ, ſcelerúmq; vindex;
Tuque dotali populos ſilentes
Quæ regis ſceptro, dominóque nutu
Infera Iuno,
Pallidi manes ſine vaſta poſt hac
Regna laxatis ſpatijs pererrent,
Liberi viſant inamœna pigræ
Flumina Lethes:
Rara nam deinceps Stygiam paludem
Et Charontæam teret vmbra puppim,
Portitor ſiccis malè grata ducet
Otia remis.
Mercuri, quando licet, hîc quieſce;
Nam potens raras animas ſub orcum
Ire compellet, ſolitóque turbam
Virga minorem:
Bodij poſtquam caput implicauit
Duplici nexu, meritámque frontem
Gloriæ ſacrum gemino ligauit
Laurea ſerto.
Ille & amiſſas reparare vires
Certus, & curâ metuente falli,
Atque inæquales reperire docto
Pollice venas:
Pallidæ rurſum roſeum colorem

Illinet

Illinet fronti benè, temperabit
Æstuans pectus, medico remiscens
Pocula succo:
Ille placabit panace, piisque
Artifex herbis rabidos dolores,
Cùm recrudescit, metuítque tangi
Vulnus acerbum.
Egredi ferro reserante plagis
Vita quid frustrà fugitiua tentas?
Vulnerum Bodî manus en cruenta
Ostia claudit.
Interim, Bodi, caue ne quid in te
Peccet Augusti rabies leonis;
Ne quid obliquo metuendus ardens
Scorpius ictu:
Nam tibi regni Stygij tyrannus
Ardet irarum ferus, & tyranno
Sæuior coniux, animóque celat
Triste venenum:
Dum frequens Orci populos recensens,
Cernit vmbrarum numerum minorem
Per tuas artes, vacuâque tristis
Regnat in aula.
Crede; secretos reserare Manes
Vatibus fas est (mihi testis Orpheus)
Si quid humanis oculis profundus
Semouet Orcus.
Iam tibi pridem secuisset arctæ
Atropos stamen violenta vitæ;
(Scilicet terris grauis est nocentum
Ira Deorum.)
Sed feri Reges timuere, vitæ
Fortè si linquas melioris auras,
Et Stygem tangas, tacitúmque nigri
Limen Auerni,
Arte ne fretus medicâ negatæ

Tænari

Tænari vulgus reparare vitæ
Efficax tentes, vetitóque manes
Reddere cœlo.

MATHIÆ SARBIVIO, Poëtæ Lyrico Polono.

ODE XIII.

O, testudinis aureæ
Qui fila ingenuo pollice temperas,
Et solis Rhodopes iugis,
Aut in Sarmaticæ littore Vistulæ
Doctam sollicitas chelin;
Quam prono toties audiit alueo
Tybris defluere immemor,
Et septem geminis non semel extulit
Echo Romula montibus:
Seu mundi dominas Principis infulas
Dicentem audierat pari
Tantis ingenio laudibus, aut Apes
Cœli roribus ebrias,
Quæ curâ artifici mellea condiunt
Puro nectare sæcula;
VRBANI arbitrio Sarmata Principem
Cùm laurum meruit lyra.
Seu bellata graui pectine diceres
Septem bella Trionibus;
Audacémque acies ducere, Martio
Nigrum puluere Cæsarem, &
Gaudentem in mediis hostibus aspici,
Dum fatis melioribus
Iracunda parem dextra superbiam
Ferro vindice fulgurat.
Seu vinci faciles cedere Tartaros
Cogis indecori fugâ,

Dum

Dum victor rapido terga fugacium
Sigismundus equo premit:
Aut Lunæ Scythicæ sanguineum iubar,
Formidabile regibus
Curuari facili circuitu vetat.
At quò te rapit insolens
Ardor frœna pati per vacuum æthera
Dum gratam superis chelin
Lucentem mediis sideribus locas:
Dum cœlo sapientiam
In terras facili carmine deuocas?
Et caligine patriâ
Cœlari cupidam non pateris piè, &
Præclarè temerarius.
Cantas ætherei tela Cupidinis,
Et quæ non dubiâ manu
Castis pectoribus vulnera destinat,
Dum tædis melioribus
Mentes virgineas vrit, & aureâ
Pectus figit arundine,
Extinguítque suis Idalias faces.
Nec cantus meretricios,
Musas virgineâ ludere barbyto,
Et castis fidibus iubes:
Quæ toruâ trepidus fronte legat Pudor,
Quæ velata Modestia,
Quæ damnet niueo pollice Castitas.
Claræ gloria Phasidos,
Nec vates patrio degener Orpheo,
Romanæ fidicen lyræ
Dicendus merito nomine posteris;
Et plectro & fidibus potens
Sarbiui, & Latijs fabula nobilis
Enarrande nepotibus:
Dicam (Roma licet toruior audiat)
Nemo pectine Romulo

Tentauit cytharæ fila decentiùs;
Vni cedes Horatio,
Qui Musas Latijs montibus intulit:
Et ni aurem mihi vellicet
Iam præiudicio fama potentior,
Et cani capitis niue,
Marcentes tremulo vertice laureas,
Ac myrtum quatiens manu;
Sarbiui, fidibus iudice me tuis
Vates natus ad Aufidum,
Et primis cytharæ cedat honoribus.

AD ANTONIVM CANVTVM.

ODE XIV.

CANVTE, docti pectinis arbiter
Cui comparandum floribus Atticis
It carmen, ignotúmque vulgo
Cecropio fluit amne nectar;
Nunc occupatum te sapientia
Maior beato detinet otio,
Mœstásque spernentem seuero
Ore Deas, sterilésque lauros.
Surdum querelis, nec reuocabilem
Semel relicto pectine transfugam
Frustrà reposcunt, & silentis
Fila lyræ, digitósque laudant.
Ingrate, rarò quæ cineri datur,
Viuo futuræ laudis adoream
Donauit, & præsente famæ
Luce frui & titulis Apollo:
Orbi legendum nomine non suo
Dictasse fertur carmen, & aurei
Dedisse plectri iura, téque
Non solitos docuisse cantus;

Aut

Aut redde Musis sideribus parem
Famámque laudémque, aut repetentibus
Te redde Musis, perfidáque
Fronte notas abolere curâ.

CHRISTVS INCARNATVS ROS.

ODE XV.

QVID iactatis apes nectar Hymettium,
Cellásque artifices nobilibus fauis?
Effusum æthereis nubibus Attico
Rorem clauditis alueo.
Verum hæc mellifici pars operis quota est?
Vos, vos rore graues fundite prodigo
Nubes mella sinu, nostráque tingite
Vestris fella liquoribus.
Sed quid Nazareus collis auarior
Hyblæis apibus, frondibus aridis
Rorem sidereum sorbet, & inuido
Cæli munera gramine?
Sic cælo Gedeon credere pertinax,
Cum siccâ madidum vellus in areâ
Vidit, rorem auido lana bibit sinu,
Et villis sitientibus.
At cùm tuta Deo vindice Castitas
Sparget lacte nouo virgineos sinus,
Et nectar liquidum virginibus fluet
Mammis spontè tumentibus.
Tunc Iudæa suis ebria roribus
Effundet fluuiis mella perennibus:
Tunc tunc artifices sollicito nouos
Succos ore legent apes.
Tunc pregnans patulo concha parens sinu
Auroræ lacrymis spontè fluentibus
Gemmam, q[illegible] liquido fluxit ab æthere,

In rorem solidum Indicis
Vertet littoribus: tunc iterum noua
Dodonæ veteris mella loquacibus
Stillabunt foliis, mannâque melleum
Plenâ turba manu leget.
Quis me Castalio nectare dulcius
Vocalem faciat sidereis fauis?
Tunc vel Pindarico pectine fortiùs
Laudes, Virgo, canam tuas:
Quamuis Pindaricis (dum pia prodigâ
Spargit Numinibus thura manu parens,
Musarúmque foris) Atttica apis labris
Rores fudit Hymettios.
At nunc, Virgo parens, quod licet, in tuas
Laudes emeritâ ludere barbyto,
Desuetæque diu fila lyræ rudi
Explorare iuuat manu.

AD B. BARBARAM IN TVRRI clausam, Poloniæ nomine.

ODE XVI.

FRVSTRA claudit aheneas
Turris dura fores, & penetralibus
Cælis auricomum diem:
Admittíque iubar sidereum negat;
Qua terris vetitus pudor,
Et cœlo Danaë castior abditur.
Non iam Iupiter aureus
Castos imbre sinus implet adultero;
Nec ferro irreserabiles
Auro audace fores rumpit, amantibus
Quà pandit pretium viam,
Et damnata piis furta parentibus.
Cælo imber melior sinus,
Insontémque

Insontémque animam, Barbara, proluit
Nimbo diuite, & aureum
Spargit culminibus lumen. Ab æthere
Tecti conscia numinis
Fax accensa fugâ præcipiti volat,
Et magnæ Triadi sacrum
Pectus tergeminis implet amoribus,
Cognatámque polo rapit
Mentem. Quid pietas impia barbari
Patris fallere Barbaram
Tentas? atque animum Virginis integræ
Iam flammis melioribus
Ardentem Idaliâ sollicitas face?
Quam sacris Deus ignibus
Afflarit, Cyprij tela Cupidinis
Armatámque proteruiâ
Casto despiciet pectore lampada.
At tu, Barbara, (nam potes)
Si quos Idaliæ cedere lampadi
Duris mentibus intulit
Ignes nuda Venus, aut Veneris puer,
Extingue; aut humiles rogos
Flammis verte potens nobilioribus.
His solis Rhodopæ niues,
Et nostri tepeant culmina Caucasi.

AD B. BARBARAM, vt hæresim extinguat.

ODE XVII.

DIRI parentis barbara victima
Turpes ad aras Barbara concidis;
Et parricidalem impiatâ
Cæde manum, & iugulo paternum
Ferrum imbuisti; Virgineum impiæ

Tentauit cytharæ fila decentiùs;
Vni cedes Horatio,
Qui Musas Latijs montibus intulit:
Et ni aurem mihi vellicet
Iam præiudicio fama potentior,
Et cani capitis niue,
Marcentes tremulo vertice laureas,
Ac myrtum quatiens manu;
Sarbiui, fidibus iudice me tuis
Vates natus ad Aufidum,
Et primis cytharæ cedat honoribus.

AD ANTONIVM CANVTVM.

ODE XIV.

CANVTE, docti pectinis arbiter
Cui comparandum floribus Atticis
It carmen, ignotúmque vulgo
Cecropio fluit amne nectar;
Nunc occupatum te sapientia
Maior beato detinet otio,
Mœstásque spernentem seuero
Ore Deas, sterilésque lauros.
Surdum querelis, nec reuocabilem
Semel relicto pectine transfugam
Frustrà reposcunt, & silentis
Fila lyræ, digitósque laudant.
Ingrate, rarò quæ cineri datur,
Viuo futuræ laudis adoream
Donauit, & præsente famæ
Luce frui & titulis Apollo:
Orbi legendum nomine non suo
Dictasse fertur carmen, & aurei
Dedisse plectri iura, téque
Non solitos docuisse cantus;

Aut redde Musis sideribus parem
Famámque laudémque, aut [illegible]
Te redde Musis, perfidaque
Fronte notas abolere curâ.

CHRISTVS INCARNATVS [illegible]

ODE XV.

QVID iactatis apes nectar [illegible],
Cellásque artifices [illegible]
Effusum ætheriis nubibus [illegible]
Rorem claudere alueo.
Verum hæc mellifluis [illegible]
Vos, vos rore graues fundite prodigo
Nubes mella sinu, nostráque largiùs
Vestris fella liquoribus.
Sed quid Nazareis colle [illegible]
Hyblæis apibus, frondibus [illegible]
Rorem sidereum [illegible] & nouo
Cæli munera gramine?
Sic cælo Gedeon credere [illegible],
Cum siccâ madidum vellus in area
Vidit, rorem auido lana bibit sinu,
Et villis fluentibus.
At cùm tuta Deo vindice Castitas
Sparget lacte nouo virgineos sinus,
Et nectar liquidum virgineum fluet
Mammis sponte tumentibus.
Tunc Iudæa suis ebria roribus
Effundet fluuiis mella perennibus:
Tunc tunc artifices sollicito nouos
Succos ore legent apes.
Tunc prægnans patulo concha parens sinu
Auroræ lacrymis sponte fluentibus
Gemmam, q[illegible] liquido fluxit ab æthere,

Ne delicato langueat otio,
Dum verba molles in numeros ligat,
Contenta maiorum ttiumphos
Scilicet, & numerare palmas.

AD ROBERTVM BODIVM Scotum Philoſophiæ, & Medicinæ Doctorem.

ODE XII.

RECTOR vmbrarũ, ſcelerúmq; vindex;
Tuque dotali populos ſilentes
Quæ regis ſceptro, dominóque nutu
Infera Iuno,
Pallidi manes ſine vaſta poſt hac
Regna laxatis ſpatijs pererrent,
Liberi viſant inamœna pigræ
Flumina Lethes:
Rara nam deinceps Stygiam paludem
Et Charontæam teret vmbra puppim,
Portitor ſiccis malè grata ducet
Otia remis.
Mercuri, quando licet, hîc quieſce;
Nam potens raras animas ſub orcum
Ire compellet, ſolitóque turbam
Virga minorem:
Bodij poſtquam caput implicauit
Duplici nexu, meritámque frontem
Gloriæ ſacrum gemino ligauit
Laurea ſerto.
Ille & amiſſas reparare vires
Certus, & curâ metuente falli,
Atque inæquales reperire docto
Pollice venas:
Pallidæ rurſum roſeum colorem
Illinet

Illinet fronti benè, temperabit
Æstuans pectus, medico remiscens
Pocula succo:
Ille placabit panace, piisque
Artifex herbis rabidos dolores,
Cùm recrudescit, metuítque tangi
Vulnus acerbum.
Egredi ferro reserante plagis
Vita quid frustrà fugitiua tentas?
Vulnerum Bodi manus en cruenta
Ostia claudit.
Interim, Bodi, caue ne quid in te
Peccet Augusti rabies leonis;
Ne quid obliquo metuendus ardens
Scorpius ictu:
Nam tibi regni Stygij tyrannus
Ardet irarum ferus, & tyranno
Sæuior coniux, animóque celat
Triste venenum:
Dum frequens Orci populos recensens,
Cernit vmbrarum numerum minorem
Per tuas artes, vacuâque tristis
Regnat in aula.
Crede; secretos reserare Manes
Vatibus fas est (mihi testis Orpheus)
Si quid humanis oculis profundus
Semouet Orcus.
Iam tibi pridem secuisset arctæ
Atropos stamen violenta vitæ;
(Scilicet terris grauis est nocentum
Ira Deorum.)
Sed feri Reges timuere, vitæ
Fortè si linquas melioris auras,
Et Stygem tangas, tacitúmque nigri
Limen Auerni,
Arte ne fretus medicâ negatæ

Tænari vulgus reparare vitæ
Efficax tentes, vetitóque manes
Reddere cœlo.

MATHIÆ SARBIVIO, Poëtæ Lyrico Polono.

ODE XIII.

O, testudinis aureæ
Qui fila ingenuo pollice temperas,
Et solis Rhodopes iugis,
Aut in Sarmaticæ littore Vistulæ
Doctam sollicitas chelin;
Quam prono toties audiit alueo
Tybris defluere immemor,
Et septem geminis non semel extulit
Echo Romula montibus:
Seu mundi dominas Principis infulas
Dicentem audierat pari
Tantis ingenio laudibus, aut Apes
Cœli roribus ebrias,
Quæ curâ artifici mellea condiunt
Puro nectare sæcula;
VRBANI arbitrio Sarmata Principem
Cùm laurum meruit lyra.
Seu bellata graui pectine diceres
Septem bella Trionibus;
Audacémque acies ducere, Martio
Nigrum puluere Cæsarem, &
Gaudentem in mediis hostibus aspici,
Dum fatis melioribus
Iracunda parem dextra superbiam
Ferro vindice fulgurat.
Seu vinci faciles cedere Tartaros
Cogis indecori fugâ,

Dum

Dum victor rapido terga fugacium
Sigismundus equo premit:
Aut Lunæ Scythicæ sanguineum iubar,
Formidabile regibus
Curuari facili circuitu vetat.
At quò te rapit insolens
Ardor frœna pati per vacuum æthera
Dum gratam superis chelin
Lucentem mediis sideribus locas:
Dum cœlo sapientiam
In terras facili carmine deuocas?
Et caligine patriâ
Cœlari cupidam non pateris piè, &
Præclarè temerarius.
Cantas ætherei tela Cupidinis,
Et quæ non dubiâ manu
Castis pectoribus vulnera destinat,
Dum tædis melioribus
Mentes virgineas vrit, & aureâ
Pectus figit arundine,
Extinguitque suis Idalias faces.
Nec cantus meretricios,
Musas virgineâ ludere barbyto,
Et castis fidibus iubes:
Quæ toruâ trepidus fronte legat Pudor,
Quæ velata Modestia,
Quæ damnet niueo pollice Castitas.
Claræ gloria Phasidos,
Nec vates patrio degener Orpheo,
Romanæ fidicen lyræ
Dicendus merito nomine posteris;
Et plectro & fidibus potens
Sarbiui, & Latijs fabula nobilis
Enarrande nepotibus:
Dicam (Roma licet toruior audiat)
Nemo pe[illegible]ne Romulo

Tentauit cytharæ fila decentiùs;
Vni cedes Horatio,
Qui Musas Latijs montibus intulit:
Et ni aurem mihi vellicet
Iam præiudicio fama potentior,
Et cani capitis niue,
Marcentes tremulo vertice laureas,
Ac myrtum quatiens manu;
Sarbiui, fidibus iudice me tuis
Vates natus ad Aufidum,
Et primis cytharæ cedat honoribus.

AD ANTONIVM CANVTVM.
ODE XIV.

CANVTE, docti pectinis arbiter
Cui comparandum floribus Atticis
It carmen, ignotúmque vulgo
Cecropio fluit amne nectar;
Nunc occupatum te sapientia
Maior beato detinet otio,
Mœstásque spernentem seuero
Ore Deas, sterilésque lauros.
Surdum querelis, nec reuocabilem
Semel relicto pectine transfugam
Frustrà reposcunt, & silentis
Fila lyræ, digitósque laudant.
Ingrate, raro quæ cineri datur,
Viuo futuræ laudis adoream
Donauit, & præsente famæ
Luce frui & titulis Apollo:
Orbi legendum nomine non suo
Dictasse fertur carmen, & aurei
Dedisse plectri iura, téque
Non solitos docuisse cantus;

Aut

Aut redde Musis sideribus parem
Famámque laudémque, aut repetentibus
Te redde Musis, perfidáque
Fronte notas abolere curâ.

CHRISTVS INCARNATVS ROS.

ODE XV.

QVID iactatis apes nectar Hymettium,
Cellásque artifices nobilibus fauis?
Effusum æthereis nubibus Attico
Rorem clauditis alueo.
Verum hæc mellifici pars operis quota est?
Vos, vos rore graues fundite prodigo
Nubes mella sinu, nostráque tingite
Vestris fella liquoribus.
Sed quid Nazareus collis auarior
Hyblæis apibus, frondibus aridis
Rorem sidereum sorbet, & inuido
Cæli munera gramine?
Sic cælo Gedeon credere pertinax,
Cum siccâ madidum vellus in areâ
Vidit, rorem auido lana bibit sinu,
Et villis sitientibus.
At cùm tuta Deo vindice Castitas
Sparget lacte nouo virgineos sinus,
Et nectar liquidum virginibus fluet
Mammis spontè tumentibus.
Tunc Iudæa suis ebria roribus
Effundet fluuiis mella perennibus:
Tunc tunc artifices sollicitò nouos
Succos ore legent apes.
Tunc prægnans patulo concha parens sinu
Auroræ lacrymis spontè fluentibus
Gemmam, quæ liquido fluxit ab æthere,

In rorem solidum Indicis
Vertet littoribus: tunc iterum noua
Dodonæ veteris mella loquacibus
Stillabunt foliis, mannâque melleum
Plenâ turba manu leget.
Quis me Castalio nectare dulcius
Vocalem faciat sidereis fauis?
Tunc vel Pindarico pectine fortiùs
Laudes, Virgo, canam tuas:
Quamuis Pindaricis (dum pia prodigâ
Spargit Numinibus thura manu parens,
Musarúmque foris) Atttica apis labris
Rores fudit Hymettios.
At nunc, Virgo parens, quod licet, in tuas
Laudes emeritâ ludere barbyto,
Desuetæque diu fila lyræ rudi
Explorare iuuat manu.

AD B. BARBARAM IN TVRRI clausam, Poloniæ nomine.

ODE XVI.

FRVSTRA claudit aheneas
Turris dura fores, & penetralibus
Cælis auricomum diem:
Admittíque iubar sidereum negat;
Qua terris vetitus pudor,
Et cœlo Danaë castior abditur.
Non iam Iupiter aureus
Castos imbre sinus implet adultero;
Nec ferro irreserabiles
Auro audace fores rumpit, amantibus
Quà pandit pretium viam,
Et damnata piis furta parentibus.
Cælo imber melior sinus,
Insontémque

Insontémque animam, Barbara, proluit.
Nimbo diuite, & aureum
Spargit culminibus lumen. Ab æthere
Tecti conscia numinis
Fax accensa fugâ præcipiti volat,
Et magnæ Triadi sacrum
Pectus tergeminis implet amoribus,
Cognatámque polo rapit
Mentem. Quid pietas impia barbari
Patris fallere Barbaram
Tentas? atque animum Virginis integræ
Iam flammis melioribus
Ardentem Idaliâ sollicitas face?
Quam sacris Deus ignibus
Afflarit, Cyprij tela Cupidinis
Armatámque proteruiâ
Casto despiciet pectore lampada.
At tu, Barbara, (nam potes)
Si quos Idaliæ cedere lampadi
Duris mentibus intulit
Ignes nuda Venus, aut Veneris puer,
Extingue; aut humiles rogos
Flammis verte potens nobilioribus.
His solis Rhodopæ niues,
Et nostri tepeant culmina Caucasi.

AD B. BARBARAM, vt hæresim extinguat.

ODE XVII.

DIRI parentis barbara victima
Turpes ad aras Barbara concidis;
Et parricidalem impiatâ
Cæde manum, & iugulo paternum
Ferrum imbuisti; Virgineum impiæ

Collum securi tendere fortior,
Diuósque crudeles cruore
Quam modico satiare fumo
Thuris Sabæi: nec pateris fidem
Christo & sacratis relligionibus
Grandi Sacramento obligatam
Funereâ violare acerrâ.
Fidem exulantem Sauromatûm plagis,
Arísque honores redde; nec hæresis
Armata ferro fraudibúsque
Heu! toties Tanain cruentet,
Et decolorem sanguine Vistulam
Tingat: sed vltra littora Thraciæ
Aut Caucasi fines, ferámque
Exul agat Rhodopen virago.

IN EBRIETATEM.

ODE XVIII.

NE vino facilis crede, capacibus
Cùm splēdet cyathis, cùm salit in vitro,
Atque ostro radiat purpura concolor,
Siue est Olda tuæ, seu Rhodani memor
Ripæ, aut Vasconicis cocta vaporibus:
Blanditúrque oculis, & temerariam
Irritare sitim faucibus improbis,
Nec sedare potens, Bacchicam hydropisin
Vino conciliat subeunte; cantharis
Albani veteris cùm liquor æmulus
Astiuâ domitus friguerit niue.
Ne, Gorane, mero fide, modestior
Ni sedet nimiam lympha ferociam.
Nam sæpe in rubeo mergitur æquore
Infœlix ratio mentis inutilis
Auriga, vt vacuo cùm fugeret salo

Hebræus

Hebræus Phariæ regna tyrannidis,
Suspensum solidis cum mare fluctibus
Hæsit sollicito sternere iter salo:
Niloas acies, & celeres sequi
Cùm currus & equos purpureum mare,
Et totis equites fluctibus obruit.

TEMPLVM
DIVIS CAROLO BORROMÆO
&
PHILIPPO NERIO
dicatum.

ODE XIX.

QVALIS alterno rediuiuus astro
Respicit terras, geminóque pulcher
Fratris hesternos imitatur ignes
Sidere Castor:
Mox polo cedit, reditura cari
Astra Pollucis minor occidente
Ore visurus, meritóque cæli
Gaudet honore:
Ambo mox iunctis facibus superbum
Exerunt cælo iubar, & minaci
Imperant ponto, faciles periclo
Soluere Nautas:
Excitet quamquam Notus inquietos
Adriæ fluctus; simul ac benignum
Sidus affulsit, pelagi residit
Mitior æstus.
Talis æterno nouus ignis axe
Carolus fulgens, modò gestit alto
Additum cælo decus, vt refulsit

Stella Philippi.
Nunc pares gaudent habitare sedes:
Nunc micant vno geminata templo,
Iuncta subiectas & amare gaudent
Sidera terras.
Purpuræ quondam iubar ô Quirinæ,
Diue stellato modo tectus ostro,
Hospes in terris veterem reuise
Blandus amicum.
Vna si binos lare strictiore
Non capit sedes, meliore voto.
Quam colas, offert fabricator, ampli
Pectoris ædem.

AD S. IGNATIVM, CVM Ludouisius Cardinalis eius tutelæ Bononiam commendaret.

ODE XX.

O Tu, qui dum oculis spectacula siderum, & lapillis
Auróque pictum cerneres Olympum,
IGNATI, assiduis pia lumina fletibus rigabas;
Mentem beatus ardor exulantem
Terrarum spatiis dum tolleret, vuidósque vultus
Cæli lauaret ignibus videndis.
Nunc quando æthereos nouus accola cœlitum maniplos,
Augésque claras siderum choreas;
Et faculas radijs melioribus impedit minores
Ignatianæ pura stella flammæ.

Respice

Reſpice dilectas olim tibi flamma amica terras.
Tutela præſens peruigílque cuſtos:
Commiſſámque tibi cælo bonus intuere gentem,
Bononiæque vota ſupplicantis.
Dilectúmque tibi pridem caput, atque Ludouisî
Illuſtre nomen purpuræ Latinæ;
Non iam gratuitâ curâ genus, & pios nepotes
Præſente ſtudio, LOIOLA ſerua.
Seu matutino aſtra morantia, Lucifer flagello
Auriga ſolis pellis & ſatelles:
Seu cælo exoreris ſeris minor heſperugo bigis,
Auro decorus & innocente flammâ.
Sic tibi quas magni patrui manus excitauit aras,
Dum Vaticano te ſacrat theatro;
Quæque nepos patruo tantùm Latia minor tiarâ
(Quãquã & meretur) ſurgere imperauit,
Aſsiduo fument templa ardua nubibus Sabæis;
Reámque voti Roma ſe frequenter
Sentiat, & paries veracibus hinc & inde fixis
Se veſtiendum gaudeat tabellis.

AD

AD B. BORGIAM.

ODE XXI.

FRANCISCE, ſtellis cui rutilum caput
Et nomen æris auxit, honoribus
Dum ſacrat VRBANVS Latinis
More pio, ſuperiſque miſcet.
Frontem, ſupremâ quam tegit infulâ
Sedis Quirinæ relligio potens
Stirpémque gentis Barbarinæ
(Nam meruit) facilis tuere.

B. STANISLAO SACRAM Hoſtiam Angeli, præſente beata Barbara, miniſtrant.

ODE XXII.

SIDEREIS optas quicunque accumbere [menſis
Conuiua factus cælitum,
Æternáſq; epulas dextrâ contingere, & ore
Libare ſincero dapes
Et paterâ audaci diffusũ haurire liquorem
Iam non cruenti ſanguinis;
Vltimus errabit labris cùm ſpiritus, atque
Deſertor animus corporis
Vitæ relliquias ſub pectore clauſus anhelo,
Artus relinquet hoſpites. [&
Barbara te magnis conuiuam admittere
Et Cælitum menſis poteſt. [ſacris,
Sic olim dubio iuuenis cùm Sarmata mor-
Optaret æternam dapem; [bo
Vltima velati cũ in Numinis oſcula vellet
Animum

Animum innocentem effundere:
Barbara Cælitibus veniēs ſtipata Miniſtris
Dapes cupitas obtulit:
Ilicet & niuei diuinus pectoris hoſpes
Cordis receptus intimo,
Æternúmque afflans epuli immortalis
Vitam fugacem reddidit. [odorem,
Et fugientem animam vitæ melioris in au-
Redire iuſsit corpori. [ras
Illa licet volucres superū geſtiret Amores
Minoribus pennis ſequi,
Et ſe tollere humo nitens, audace volatu
Tentaret inſolitum æthera,
Paruit & iuſsis iterum ſe reddere membris
Inuita vita pertulit.
Sic gemit & querulâ teſtatur voce dolorē
Eburneâ ales in domo,
Quem, libertatem pennis cùm quæreret,
Cœptâ retraxit è fugâ: [auceps
Atque iterùm fruſtrà captiuas ventilat
Ventóſque ſegnes increpat; [alas,
Deſertóſque cauâ reminiſcitur arbore
Lectámque nidis ilicem [pullos
Et ſocias poterat permixtus fallere Di-
Turmas Polonus Angelus: [uûm
Sic oculi, ſic ora, & eburnea colla, comæq;
Pares tegebant ductili
Auro humeros: par frōte decor, par gratia
Oríſque virginei pudor: [formæ,
Si fixæ hærerent humeris implumibus alæ
Cœleſtis eſſet Aliger.
Sed dare debuerat Romanę exēpla iuuētæ,
Suíſque KOSTKA Sarmatis.
BARBARA, quādo tibi tāti cōceſſa poteſtas
Cælo volente muneris: [ſomno
Ante mihi duro in mortem quàm lumina
Extremùs

Extremus vrgeat sopor,
Sacrata arcanis precibus tu liba ministra,
Et deuocatum cælitus
Numen, adorato fallit qui lumina velo,
Panísque nuda imagine

AD VRBANVM VIII. P. M.

ODE XXIII.

VRBANE, mundo quem Deus arbitrum
Terrísque cæli religio potens
Edixit, & frontem Latino
Imperio triplicísque vittâ
Auxit: verendi nube supercili
Cùm regna, & altum concutere æthera
Permisit, & patentem Olympum
Claudere, vel reserare clausum.
VRBANE terris optime Principum,
VRBANE terris maxime Præsulum;
Amica quem sero astra sæclo,
Et superi faciles dedere:
Vt Barbarinæ tristia condiant
Apes amico nectare sæcula,
Amara curarum eluentes
Melle pio; veterísque ducant
Auri colorem ferrea tempora:
Et lapsa cœlo res hominum redux
Virtus reuisat fasque sanctum, &
Cana fides, pietásque auorum,
Æuíque primi relligio memor,
Sulcata rugis tempora præferens
Aras colat quondam relictas
Et Syrio pia templa fumo.
Te LVDOICVS consilium & tuos
Præbente Diuos, castra rebellia

Fudit

Fudit, profanatiſque victor
Reſtituit ſua ſacra templis.
Auſúſque leges Oceano dare,
Frænauit vndas molibus arduis
Prudens, inacceſſámque rupem
Conſilijs animóque fregit.
Quamquàm tricenis Anglia nauibus
Anguſta remis conderet æquora,
Et vix laborantes tot Euri
Sufficerent animare vela.
Nunc ſola Francas relligio vetus
Regnat per aras, nunc ſacra Romula,
Et nomen VRBANI parentis
Cum populo proceres adorant.
Mox vota ſoluet Gallia ſplendidi
Damnata voti cùm patriam hæreſis
Abacta luſtrabit, ſolúmque
Exilio fugitiua vertet.
Hoc LVDOICI temporibus pius
Seruabat æther, cùm puerum ſinu
E fonte ſublatum, fouebas
Purpureo, Latij referre
Iam tum Parentis nomen idoneus,
Vicéſque, ſedes nunc meritum priùs
Accepit VRBANVM infulíſque
Tempora Principibus ſacrauit.
Seruate terris ſidera Principem,
Dum quinta mundo liberum Olympias
Annum reportet; quaſque clauſit
Ipſe fores iterum recludat.

POETA

POETA CYTHARAM DEPONIT.

ODE XXIV.

IAM lassata diu fila remittere,
Intentásque fides Calliope iubes,
Ne fortasse canoro
Fractæ dissiliant iugo.
Aut nunc emeritam desero barbyton,
Vt longo sileat nobilis otio:
Aut ingrata pudendo
Damno plectra silentio
Quid collecta leui fama lyrâ iuuat
Ingratum cinerem? an surda loquacibus
Parcant fata Poëtis,
Aut duras teneant colos?
Si fœdi maculas criminis eluant
Fœlices lacrymæ; iam fidibus placet
Veros iungere fletus,
Et suspiria cantibus.

ODARVM LIBER IV.

AD ÆGIDIVM MASVERIVM, SENATVS TOLOSANI PRINCIPEM.

ODE I.

MENS Gallicanæ iuſtitiæ, ſacri
Tutela iuris; nobilis, Ægidi,
Legum verendarum Sacerdos
Palladiæque iubar Toloſæ:
Nam te ſeueri Tectoſagum Patres
Iuſti Senatus curia Principem
Miratur, integrúmque noxæ,
Imperiíque animum capacem.
Quo ſanctiorem nec ſobolem Iouis
Minoa vidit Creta, nec Attica
Tellus Solonem, temperatum
Nec Lacedæmonij Lycurgum:
Non, iudicato nobile quæ trahit
A Marte nomen, curia; quam Deos
Feciſſe dicunt innocentes,
Atque reos ſoluïſſe noxâ:
Nam criminoſam ſcilicet arbitris
Frontem obligarunt numina legibus,
(Vt fama) calculóque dictam
Cecropio ſubïere mulctam.

Tumultuoſum

Tumultuosum dum modico forum,
Et inquietæ iustitio silent
Lites, & ingratæ reorum
Parciùs inde sonant querelæ:
Grauis rigorem pone supercili,
Iam solue curis pectora; supplicem
Miti libellum fronte Musæ
Siue reæ lege, seu clientis.
Ream tenaci crimine se videt,
Quæ té seueris fortè negotiis,
Aut grandibus causis vacantem
Pieriis fidibus moratur:
Sed partem honesti postulat otij:
Post hac silebit, cùm repetent forum
Leges verendæ feriatum;
Ambiguámque minax securim
Quæ gestat immoto ore seueritas,
Fascésque noxam plectere vindices;
Dextrâque tollens Terror ignem,
Et gladium sceleri timendum.
Cœlo reuulsas candida præferet
Astræa lances, quæ lateri tuo
Hærebit, & mentis profundæ
Consilium memori reuoluens
Æui prioris tempora pectore,
Strictáque tonsus canitiem comâ,
Mentóque promissam remulcens
Æaciâ grauitate barbam.
At æquitatis te Nemesis comes,
Dolosa toruo munera respuens
Integritas vultu, atque sancto
Iura polo repetita cingent.
Sic prodeuntem te patrio decet
Finire lites iure: nec horrido
Sisti tribunali recuses,
Vltima cùm populos nocentes

Secernet

Secernet æquis curia iudice
Christo : merentem te pietas teget ;
Assessor æterni Senatus
Sidereo radiabis ostro,
Magni futurus pars bona concili :
Suggestu ab altis nubibus arduo
Et præmium virtuti, & æquum
Supplicium sceleri rependes

AD *

ODE II.

NEROTIANO sanguine concolor
Vadis Erythræ facta, Britannici
Pone vnda fluctus inquietos
Oceani ! meliore ductum
Cruore nomen, sed sine fabulâ
Quàm Pontus Helles, aut mare Myrtili
Quod barbarum aurigam rotásque
Ionio obruit amne, seruet
Qui longus inter Cannadiam æstuat
Gallósque pontus, nil opus est nouâ
Iam luce ; signatum est secundâ
Cæde fretum, geminóque fato.
Nam primus olim nomen inertibus
Gilbertus vndis addidit, acrior
Sed arte dispar viribúsque
Dum celeres ruit in Britannos.
At nunc quieto langueat otio
Immota ventis vnda silentibus,
Nimbísque sudantes in æquor
Carpathium violentus Auster
Conuertat alas, quidlibet insolens
Peccare, seu quas remige Thracio

H Lunata

Lunata puppis verrit vndas
Plena natans scelerum atque prędę.
Ridente Ponto tu licet interim
Credas amico te pelago, fidem
Præstabit, & clarius petitam
Cannadiam penetrabis exul.
Tutela gentis tendite Cælites
Amica fido carbasa spiritu,
Nec sit pudor sedisse transtris,
Aut celeres agitare tonsas.
Pars dedicato lintea contrahent
Suspensa malo, pars retrahent fugam
Frementis Euri, vel rudentes
Euoluënt, facilémque clauum
Dextrâ mouebunt, quâ soliti priùs
Versare certis æthera motibus;
Et, cui priùs parebat astro
Peruigili cynosura, nota.
Magnete quæret sydera mobili,
Certóque cursum diriget indice;
Nec fallet Orion serenâ
Nocte oculos, hyadesve claræ,
Dum fixa Portus anchora Regios
Desiderati littoris occupet,
Aut alueo magni Gibuti
Ponat onus generosa puppis.
O syluæ! ô amnes! iam video tuis
Alludit hinc inde vt genibus rudis
Ætas, agrestes seminudæ
Cannadiæ Satyri innocentes.
Attrita crebris iam calet osculis
Sparsura rores æthereos manus
Ceruicibus: iam rursus infans
Ora sono dubio resoluis
Barbatus ô tyro, & malè barbarus,
Et barbarorum discipulus, sed heu!

Quando

Quando bonus doctor futurus?
Barbariem ſine lege diſcis.
Iàm durus erras ſaltibus auijs
Prædam ſequutus non hūmilem; feras
Dum barbari quærunt fugaces,
Semiferos homines viciſsim
Vænatis. I nunc, & ſtudio vaca,
Pectus ſeueris frange laboribus;
Venator aut Rhetor futurus
Cannadiæ meliore fato.

DIALOGVS MATRIS ET FILII.

ODE III.

Mater.

NESCIS quanta meæ pars animæ tuâ,
Nate, incluſa latet. Vel tibi vindica
In me quod ſupereſt, vel reliquum mei
Noli auellere pectoris.

Filius.

Neſcis quanta meæ pars animæ Deo
Conſecranda latet. Non ſibi vindicat
Noſtri dimidium: quidquid in intimo
Clauſum eſt corde, ſibi rapit.

Mater.

Sic ergo arbitrio, Nate licet tuo
Crudeles ſuperos fingere, qui vnicam
Materno ſobolem deripiant ſinu?
Hæc cælo impietas placet?

Filius.

Promptos imperio Numinis obſequi
Crudeléſne licet dicere matribus?
Hæc cœlo & ſuperis impietas placet;
Hæc matris me abigit ſinu.

Mater.

Saltem, dure, tibi nil prohibet breuem
Indulgere moram, tota ſenilibus
Dum labris anima hæc extat, & in tuos
Transfundi properat ſinus.

Filius.

Chriſti vulneribus quàm meliùs piam
Transfundas animam: Sic animæ queat
Iungi fortè meæ; me ſterilem Deus
Indulgere moram vetat.

AD LVDOVICVM GABRIELEM.

ODE IV.

PARCE, credulis, iuueni, podagra,
Parce: maturâ venies ſenectâ
Mitior; nondum croceum nitorem
Concolor auro
Barba mutauit: licet anteuertat
Tempus & cano iuuenilis ætas
Præcoquum ſenſu capiat Catonem.
Falleris amens:
An putas impunè ſinet moleſtis
Tamdiu ſtringi ſibi delicatos
Vinculis artus, & acerba durâ
Compede crura?
Senties, aut iam malè ſana ſentis,
Vt tibi parcâ dape diminutas
Subtrahit vires, gelidâque ſenſim
Macerat vndâ.
Aut fami lentæ tibi dimicandum,
Aut recedendum Garamantas vltrà,
Antequam pingui rubicunda ſucco
Diluat ora.
Quid? lues ægris inimica ceſsit

Mitior

Mitior neruis? an adhuc repugnat
Peruicax peſtis, medicáſque ridet
Longiùs artes?
Crede dilecto, Lodoïce, vati,
Audiat quamuis minùs ille ſanus:
(Delius fertur medicis, & idem
Vatibus autor.)
Infatigatus podagram fatiga,
Arduos luſtra ſcopulóſque ſyluáſque;
Et Spoletinis ſata læta campis,
Qua via callem
Ducit incertum; gradibus malignis
Horridi luſtra ſalebroſa montis,
Quà viret luco ſacer, & propinquis
Iungitur aſtris.
Illa, quæ ſomno tumet ebrioſa,
Quæ pigro languens alitur veterno,
Vix humum ſignare, gradúque lento
Radere fortis;
Inuios te per ſcopulos vagantem
Deſeret: qualis patulâ Lyciſca
Nare, quæ Damæ fugientis acrem
Hauſit odorem:
Si per incertos longa fuga ſaltus
Abſtulit prædam: celeréſque venti,
Si premit duro pede nuda teſqua
Montis iniqui;
Vix canis duri patiens laboris,
Dum timet molles violare plantas,
Scilicet fruſtrà gemit, atque vanas
Luſtrat in auras.

AD PETRVM CASANVM,

ODE V.

POST exulatam tetraëterida,
Casane, iam nos tempus erat viam
Longam remetiri, ac relictos
Tectosages iterum, & Garumnæ
Videre ripas. Tu reditus mei
Præterque lapsi temporis immemor
Sperato ad optatos labores
Imperio reuocare cessas?
Iam delicati me pudet otij:
Lentæ quietis impatiens feror
Duras per Alpes, arduósque
Per scopulos, niue quos perenni
Damnauit æther. Iam procul Italæ
Vrbes recedunt, & memori diu
Seruanda nobis mente Roma,
Roma hominum, superúmque cura.
Vt Gallicano me iuuat impetu
Nudos per enses, strictáque militum
Per tela, formosásque cædes
Ilicet ire nihil timentem
Periculorum! At, fallor? an agmina
Prostrata campis cerno rebellibus?
Nec iam profana, vt nuper, armis
Impietas inimicat vrbes.
Formosa templis Relligio nitet,
Et pax, & æquum iustitiæ tenax,
Lætísque tandem LVDOICI
Auspicijs pietatis antiquæ
Ætas colorem ducit; & artibus
Probis honos atque ingenijs redit:
Noctémque crimina indecoram

Et

Et latebras fugitiua quærunt.
Nec luce clarâ flagitia, aut palàm
Prodire tentent, vt priùs: vltimo
Damnata lugent ire vastas
Exilio in Lybies arenas.
Aut si qua Francos longiùs insulis
Tellus remoto distrahit æquore,
Vltráque Nili fontem, & vltrà,
Taprobanam, Æthyopúmque fines.
Quid maius orbi Rege bono Deus
Donare posſit? Sidera Principem
Iustum diu seruate, Francis
Nil superos meliùs precamur.

AD
HIERONYMVM MARTELLVM.
ODE VI.

IAM te Roma diu syluis procul arcet, & relicto
Obliuiosum detinet Spoleto
Aurea mirantem laquearia, quæ frequens perrerat
Hospes Cupido, & educans timores
Pullos cura parens circumuolat; ac leues sub auro
Vt verna hirundo fingit ipsa nidos:
Quos domini implumes gremio fouet, & docet superbo
Cicures in ostro ludere infulísque.
Nos Apennini comptam niue filiam, paternâ
Ridemus hyemem frangimúsque syluâ,
Martelle; Intereà patriæ memor inter æstuantes

Negotiorum fluctibus procellas
Curas non humiles sub pectore voluis, atque auaro
Cœpta meditaris ampliora sæclo.
Tu serum Musas inopes lare suscipis benigno
Mensáque recreas largus hospitali.
Tu lucos virides, tu prædia montibus supinis,
Mitíque oliuâ tempe amæna donat.
Tu syluis errare tuis finis; & flagrante Cancro
Algere frigus sole temperatum,
(Namque æstum ilicibus defendimus) interim malignè
Cautes iniquas increpante lymphâ.
Nec modò Setinas desiderat ire per paludes
Assueta pietas montibus vagari;
Ardua quæ ducit supra iuga nobiles alumnos
Choro frequenti, sparsa quæ coronant
Templa, casæque humiles, quas incolit inquilina montis
Crine irrepexo sanctitatis agrestis,
Et fugiens hominum commercia libero volatu
Nubes petit: nec crebriora cœlum
Sidera distinguunt. Ibi purior aura feriatis
Non otiosâ mentibus quiete
Instillat roris nectar liquidum, ætheris medullam,
Et manna cœlo prodigo caducum.
Tu cœlum pretio redimis cautus institor, Deóque
Poscenti, auarâ liberalitate

Pro

Pro gelidæ cyatho qui pignerat astra, fœneraris.
Soluendo cœlum est;perge:creditorem
Non fallet pactâ dubium fide. Numquid obligato
Decoxit æther luculentus auro?
Intereà vsuram soluet tibi: & integrâ manente
Ne forte lucrum cesset, aura Pindi
Martelli nomen (si quid valet arte Phœbus) vltra
Portabit Alpes, Italúmque littus.
Nec mixtam cineri famam simul obruet maligno
Spoletum auarum gloriæ sepulcro.

AD CAROLVM CARRIVM.

ODE VII.

IMMATVRVS adhuc, nec temerè rudi
Tentandum puero, Carle, moues opus,
Impar his studiis, autor idoneus
Ni cœlo Deus imperet.
Verùm sume animos: grande periculum
Par merces sequitur. Hoc animi tibi
Libertas pretio vænit, & aureo
Immortale polo decus.
Audax consilium, Numina promouent:
Nec mollis pietas, apta minùs licet
Bello dicta priùs, segniùs adiuuat.
Quamuis Anna Sororijs
Fratrem, fratrem iterans ambiat osculis,
Amplexúque hederâ fortiùs alliget;
Formosásque genas laudet, & aureâ
Crispam cæsariem comâ.

Vicina

Vicinæ illa tibi Cæciliæ faces
Sopitas gelido pectore ventilet,
Nullum virginibus iuret amantibus
Laudatum puerum magis.
Quamuis cana parens (quã dubites dolor,
An maternus amor fortiùs vrgeat)
Partum, sollicitos pro puero metus,
Cunas narret, & impium
Crudelémque vocet sæpius: humidis
Seu iussæ ex oculis ire, fluant aquæ;
Seu veræ lacrymæ, nec reuocabiles
Ad nutum, immadeant genis.
Quamuis fœmineis misceat irritas
Diras blanditijs læsus amor. Deus
Dispergenda noto dira precantium
Tradit vota parentium.
Quantumcunque minas adiiciat pater
Consumptis precibus callidus, & pias
Vanis deinde minis substituat preces,
Cæci pectoris hospites
Dum rursus dolor & rursus amor vices
Alternas obeunt: Tu puer interim
Constans, Ionio surdior æquore
Siccis luminibus vide
Maternos gemitus, & timidas patris
Risu non humili dilue lacrymas.
Durum est. Sed quid agas? non superes nisi
Duro mollia pectore.
Si prostrata parens eripiat fugam,
Liménque obsideat: debile si latus
Opponat genitor, si soror anxia
Collo pendeat; ipse te
Vinclis quà licet, & non licet eripe
Per calcata piè viscera barbarus,
Exertósque sinus matris & horridi
Sparsam canitiem patris.

Immotis

Immotis oculis ad crucis aduola
Vexillum, pietas quo vocat. Hac tibi
Crudelem esse tenus, nec prohibet Deus.
Nec te relligio vetat.
Si quæris pretium: Iaponicus rogus
Aut impacta manu Caffaricâ tuo
Securis capiti scilicet hæc erit
Merces ampla laboribus.

AD MVSAM.

ODE VIII.

RVMPE vocales tacitura chordas
Musa: testudo lituósne cantu
Vincat audaces? & acuta rauco
Classica cornu?
Vota Turcarum superare, Christo
Miles addictus cupit; eluenda
Cæde fraternâ maduere, Thracum
Arma cruore.
Dum trahit mundus fragilem ruinam;
Ludis? ah: demens, vel acerba rerum
(Nam quid est vltrà?) vel iniqua multo
Dilue fletu.

AD B. ALOYSIVM GONZAGAM.

ODE IX.

SIC te Roma potens, sic Latio Pater
VRBANVS solio sanciat æthere,
GONZAGA, & positis libera Mantua.
Aris indigetem vocet:
Cœlo tende manum; sic popularibus
Mixtum te superis auxilio proba.
Humanis

Humanis opibus quando nihil super,
Agnosci superos decet

AD TIRONES
LAVRETANÆ VIRGINIS
sacellum adeuntes.

ODE X.

ITE felices, quibus aura cœlo
Mollis aspirat: pietas iniquæ
Dux viæ lassis prohibebit acrem
Frontibus æstum:
Rursus inuitâ pluuias Apriles
Nube suspendet; Zephyrósque vernis
Floribus comptos Aquilone pulso
Flare iubebit.
Illa vos tecto teget hospitali,
Illa vos parcâ dape recreabit:
Angelis vnus tribus an deesse
Possit Abramus?
Quis neget sacræ comes ire turmæ.
Caucasi quamuis glacies premenda,
Calcibus nudis, vel adusta Mauro
Guinea sole?
Diua quæ vecto per inane templo
Occupas montes Italos, modestum
Cui larem sacrâ celebrata lauro
Sylua coronat;
Aduenas sanctis adytis recepta;
Si patet puris penetrale, dudum
Purior nullus meruit beatum
Tangere limen.
Ædis arcanæ superis Ephebis
Moribus, vultu similes, in vno
Dissident

Dissident, desunt humeris negatæ implumibus alæ.

AD GALAAD DE ALTO.

ODE XI.

IAM feriato principis vrbium
Romæ reuisas ingenio licet
Miraculorum spectra, Romæ
Heu veteris lacerum cadauer.
Romæ sepulcrum est Roma; neque altera
Harum ruinarum vrna capax fuit:
Cumque vrbé lapso clariorem
Non potuit tumulum parare
Fortuna mundo. Iam Capitolium
Ascende Brenno fortior: anseres
Silent ad Augusti calendas
Alitibus malè feriatas.
Lustra superbis arcubus addita
Victoriarum nomina, gentium
Signata vinctarum triumphis:
Quæque piis toties arena
Sudauit olim cædibus ebria, &
Quas sæpe mecum te memini priùs
Spectare circùm litteratas
Historiæ memores columnas.
Seu quod superbo fornice Pantheon
Vastóque cœlum prouocat ambitu,
Aut Adriani celsa moles
Curtius aut lacus, atque Iani
Te quadrifrontis proxima detinent
Bis apta senis limina mensibus,
Et bellicæ quæ nunc reuulsis
Cardinibus cecidere portæ.
Hæc Lotharingis fortè tuis senex

Narrans, iuuentæ præteritæ memor
Dices, meos Gilbertus inter
(Si memini) vnus erat sodales.
Nec ore pulcro, nec facie tamen
Illiberali; tetricus, & piger
Seruire amicis; sed fideli
Pectore nec nimiùm seuero.
Templa ille mecum Romæ obiit frequens
Septena: nec nos continuit domi
Aut Iulio Cancer malignus
Aut madidi pluuijs Apriles.
Nunc abdidit se saltibus Auscijs,
Aut qua superbo voluitur alueo
Garumna, vel Tarnis, vel Olda;
Sed memor est vbicunque nostri.

AD BARONIVM VINCENTIVM.

ODE XII.

SECVNDA magno fama Baronio
Te posterorum iam minùs inuida
Per ora clarabit, Baroni,
Qui reuocas fugitiua sæcla:
Obliuiosos nec patriæ sinis
Cælare fastos gentis originem;
Auisque deterges malignam
Canitiem, grauibúsque demis
Annis senectam (Cartia Gallicis
Rursum coronas mænia lilijs,
Narrásque fundamenta fortes
Prima manu posuisse Francos)
Qualem recoctum protulit Æsona
Medea, venis ausa senilibus
Mutare frigentem cruorem
Carminibus, magicóque succo
Supplere

Supplere viuum in pectore sanguinem.
Aut qualis herbis & patriâ potens
Arte Æsculapius pudicæ
Reddidit Hippolytum Dianæ.
Vtroque polles clarus Apolline;
Seu te, Baroni, digna Cedro iuuat
Mandare chartis, siue Coâ
Arte placet reparare vires
Fugámque vitæ sistere, cùm diem
Exosa claudi se dolet artubus.
At interim dum iam caducæ
Restituis patriæ iuuentam;
Primæque donas esse, velut prius
Famæ reducto flore superstitem
Felicitati, quæ decorâ
Canitiem tibi fronde cingit,
Baccis reuixit laurea grandibus,
Qualis Spoleti montibus arduis,
Qua parte molliore cœlo
Intepet, assiduóque sole
Oliua, quam olim seuit aui manus.
Annis adeso stipite, languida
Edentulâ radice macram
Mordet humum, breuibúsq; ramis
Frondes caducas vix tenet. Attamen
Mox vt recisis ponit inutilem
Stipes vetus ramis senectam,
Fronde nouâ iuuenescit arbor:
Iámque ipsa syluas ambitiosior
Circùm resecto stipite despicit,
Florúmque baccarúmque pompâ
Mox viridem reparat coronam.

AD PAVLINVM MVSICVM.

ODE XIII.

ET cantu & specie frater oloribus.
Et morum geminus dulcis olor fugis,
(Heu! quando rediturus?)
Quò te mollius euocat,
Aut cœlũ aut Zephyris aura salubribus,
Quæ miti pelago suauior intepet.
Te deflet taciturna
Mœsto sylua silentio.
Certè quas Lybicum trans mare perfidas
Exportauit hyems tristis, hirundines,
Speramus redituras
Primo veris anhelitu.
Te, qui vere fugis, qui reuehent mihi
Aut quando Zephyri? Sed fuge ne tibi
Intactas dolor amens
Alas vellere suadeat.

AD CORNELIVM A LAPIDE, Scripturæ Interpretem.

ODE XIV.

QVALIS Dædalus improbo
Naturæ ingenio cedere peruicax,
Vitæ quà licet æmulis
Pygmæis animam mobilibus dedit,
Humanæque sonum parem
Voci fictitiâ clausit imagine;
Talis te facili manu

Cùm

Cùm docta egregio fingeret è luto
Natura, ingenium arduum,
Et mentem exiguo corpore maximam
Inclusit, temerariæ
Artis consilio, massæ & inutili, &
Angustæ pretium addidit.
Hinc vulgo ingenium maius, & igneæ
Ardor mentis, & aureo
Manans eloquij copia flumine;
Arcanæ sapientiæ
Dum fontes reseras, & Paradisij
Perlustras viridarij
Impunè areolas, dum irreuocabilis
Damnatam sobolem exilj,
Custos imperio Numinis additus
Longè submouet, & procul
Stricto arcet timidum vulgus acinace
Implacabilis Aliger.
Tu quondam tenebris tecta fidelibus
Magni oracula Numinis
Antiquis reseras cognita vatibus.
Et quidquid malè sobrio
Ieiunus populo legiferattulit;
Cum cornu rutilo efferens
Frontem conspicuam, Numinis indice
Signatas iterum impijs
Ostendit tabulas. Tu sapientiæ,
Tu Pauli impenetrabilis
Arcanis adytis interior subis:
Tu, quidquid grauibus monet
Magnorum Procerum curia litteris
Linguâ interprete disseris.
Et quod magnifici principij memor,
Visi conscia Numinis
Patmos fatidico nobilis exule
Cæcis vocibus audijt,

I Horrendos

Horrendos tonitrus, atque pauentibus
Inter fulgura nubibus.
O quantùm ingenij, quam modicis poten
Inclusit Deus artubus,
Nec rerum modicarum ingenium capax.
Sic astris adamas nitens
Et puris radiat noctibus æmulus,
Et magnum exiguus licet
Angusto pretium colligit ambitu.
Sic magno imperio parem
Quam mentem æthereâ sede trahunt, ape
Celant exiguo sinu
Et puri ingenium nectaris artifex:
Quæ nunc imperij decus,
Et signum Latij, nobilibus fauis
Et melle æthereo Patris
Vrbani auspicijs sæcula condiunt.

AD ALBERTVM MICISKI

ODE XV.

AVRO atq; magnis, Sarmata, auis poten
Frigus Polonum Lapponicâ paras
Mutare flammâ: hac mente claros
Cum patriâ titulos relinquis,
Et spes adultas stirpitus enecas.
Alberte felix! exilium, rogos,
Tormenta, formosámque cædem
Hoc pretio decet æstimare.

A I

AD MARCVM CORVINVM.

ODE XVI.

QVID fugam captas periturus ales?
Quid pios vitas laqueos, & artem
Aucupis fallis, nimiùm dolosæ
Credulus auræ?
Iam videbaris cicur: experiri
Nunc cupis molles Zephyros: tenaci
Ah caue visco tibi ne Cithæra
Implicet alas.
Aut puer sæuâ feriat sagittâ,
Cœcus arquires, licet, ille visam
Nubibus prædam metuendus acri
Deiicit arcu.
Ille ventosas tibi vellet alas:
Tu veru fixus, tibi cum maligno
Igne stridebit iecur, interemptus
Fraude quereris.
Marce cras frustrà tibi polliceris:
Cras, quod in longum mihi currit annum
Hoc habes vnum volucris paternæ,
Cætera oloris.

AD BARANSANVM ASTROLOGVM.

ODE XVII.

INcassum radio sollicitus sidera consulis,
Natalíque tuo quæ dominis imperat ignibus

Quo ſtet Mercurij ſtella gradu: num ti
mitior
Aſcendat, Venerem reſpiciens lumi
dextero
Formoſumque Iouem: num potius flam
minacior
Saturni dubiâ luce micet. Pone ani
metus;
Quæ mentitur Arabs, quæ Babylon ſom
deſpice.
Maius fato aliquid res hominum temp
rat, aut ſibi
Fatum quiſque facit. Si ſapias ſidera
nocent;
Iuſſo calle meant: ni ſapias, ſidera
iuuant.

AD CRISPVM.

ODE XVIII.

CRISPE maturo quid adhuc in æu
Seu puer vanam trepidas ad vmbra
Quid-ve laruatæ malè ſuada terret
Mortis imago?
Neſtoris quamuis ſuperes ſenectam,
Non ſatur vitæ moriere: rurſum
Longa Cumææ cupies Sibyllæ
Sæcula iungi.

AD IACOBVM MACALDVM.

ODE XIX.

TVMVLTVOSÆ dum ſapientiæ
Moroſiores curæ animum coquunt,
An ſemper inſomnem iuuabit
Perpetuas vigilare noctes?
Dum iam Vrſa cœlo peruigil occidit
Sopore languens, ſidera dum cadunt,
Dum ſomnolento Luna curru
Lora manu roſeâ remittit.
At tu obſtinato lumine pertinax
Somnum repellis, ceu rigidos tibi
Artus chalybs aut æra cingant,
Vel ſolido ex adamante pectus.
Dum mente ſacras voluis imagines,
Et quidquid humano ingenio licet
Tentare. Nunc intemperanti
Pone modum ſtudio; atque curis
Abſiſte tandem deterioribus,
Longámque Romæ tetraëterida
Iam computa exactam: Citato
Dum loquimur fugit hora curru.
Compone curas: atque aliquid tibi:
Neſcire nullum crede nefas. Deus
Mortale circumſcripſit arctis
Ingenium, vetuítque mentem
Circum vagantem excurrere lineis.
Nec ſi ora tingat lucida decolor
Fuligo Aquinas & labore
Socratico vigiles lucernæ:
Si mite quidquid Tibur, & annui
Spoletum oliuæ miſerit, ebibas
Dirum pijs facturus omen

Matribus, aut pueris timorem
Pallore docto; non tamen omnia
Scies: relinques plura nepotibus
Quærenda seris, quæ sub altâ
Nocte latent, aliquando claram
Visura lucem. Nam Deus arbiter
Occulta rerum non simul extulit:
Quædam ille promit, quæ latebant;
Quædam iterùm tenebris recondit.

AD ANTONIVM MARTIVM.

ODE XX.

QVÆ te spes roseâ compede detinet
Captum consilijs deterioribus?
Quæ te vertere mentem,
Iuratámque polo fidem
Suadent blanditiæ tum facilè? Ah! puer
Nescis quot scopulos, quod modò cãdidis
Ridet fluctibus, & quot
Syrtes hoc habeat mare.
Quæ nunc ore decens purpureo Venus,
Siren voce tibi est, fortè latrantibus
Succinctam inguina monstris
Scyllam reperies. Caue
Infidum moneo, Marce, periculum:
Portu conde ratem, dum licet, impio
Ni ludibria vento
Aut mergis dare vis dapem.
Frustrà iam medio nudus in æquore
Eiurasse fidem flebis: & ex aquis
Optato peritura
Tendes brachia littori.

AD

AD CVPIDINEM.

ODE XXI.

VERTE ferales aliò ſagittas
Dedecus matris puer impudicæ,
Mobiles fruſtrà peritura tela
Spargis in auras.
Me polo lapſus meliore flammâ
Ardor afflauit; tetigítque nudum
Certior ſignum manus, inque fixit
Pectore telum.

AD FLAVIVM.

ODE XXII.

FLAVI, claude oculos, aut latebras pete
Vt tuto lateas abditus otio:
Et ſpectare nocet pluribus, & nocet
Rurſum pluribus aſpici.
Pars eſt integritatis bona cæcitas.
Aſpectu inficitur lucida ſordido
Cryſtalli glacies, & metuit tener
Delibari oculis pudor;
Quàm gratus iuuenũ, tam fragilis pudor:
Qui tangit, maculat; qui videt, inficit.
Si neſcis, oculi nil metuentibus
Sunt ad flagitium duces.
Rerum pompa fugax lumina decipit
Fuco picta genas, cui comes addita.
Spes lena illecebris & meretricio
Nutu illudit amantibus.
Oſtendit cupidis mentibus aureas
(Sed queis nil ſolidum ſubſit) imagines

Formosi facies blanda periculi:
At postquam imposuit iugum,
Et collo implicuit vincula libero,
Iam vultu atque oculis toruior aspici
Seruili miseris supplicio ferox
Durâ terga secat manu.
Mœstorum lacrymas ridet inutiles,
Ac feros gemitus: hos famularibus
Addictos operis, in scelus, in necem
Per fas perque nefas agit.
Qualis virgineo pectore mitibus
Extat Scylla vadis, & Siculo mari;
Sed pars inferior Trinacrijs tegit
Sub lymphis auidos canes.
Vita sollicitè dulce periculum,
Dum ventus patitur: Si semel incidas
In Syrtes, lacerâ puppe iterum velis
Frustra vela retrò dare.

AD LEONARDVM CRESCIVM.

ODE XXIII.

ANTEQVAM Maias referat Calendas
Iam senescentis breuis hora veris,
Clara dum pleno sinuantur orbe
Cornua lunæ; &
Mitiùs solem Geminis propinquum
Taurus accendit; Leonarde, testem
Te volo magnis adhibere sacris
Dic bona verba.
Hîc vbi templo, viridíque luco
Mons sacer frondosum aperit theatrum,
Cumque facundis querulæ loquuntur
Frondibus auræ:
Hîc volo tristem iugulare curam,

Quæ mihi peius Nemees leone
Lancinat pectus, spoliúmque ab alta appendere quercu
Attrahat frontem pater, aut maritus,
Cui domi plorat sine dote virgo
Nubilis, vel cui dubiis decora
Moribus vxor.
Aut grauis natus vetulo parenti
Vitæ me celebs iubet esse nigris
Liberum curis, modicóque Crœsi
Vincere censum.

AD CLAVDIVM GELASIVM.

ODE XXIV.

CLAVDI, meorum gemma sodalium,
Cui me iuuentus criminis innocens,
Aut stella natalis propinquis
Sideribus geminóque fato
Diuisa iunxit, quodque fidelibus
Innectit astrum pectora vinculis,
Quæ sæpe iurauisse solo
Nos memini soluenda letho.
Tibi obligatam ne temerè putes
Nutasse mentem; fallere non sinunt
Quæ sæpiùs spectante cœlo
Pacta fides, superísque testes.
Sed maior vrget vis; aliò trahunt
Me iussa magni Numinis, obsequi
Cœlo imperanti quis recuset?
Fœdus amicitiæ sacratum,
Sanctásque leges desine conqueri
Tandem solutas, non ego perfidum
Eiuro sacramentum; at omni
Consilio, pietate, fato,

Amore

Amor maior me Deus abripit.
Vis vt repugnem? si grauiùs tamen
A me queraris te relictum,
Nil prohibet socium fugacem
Sequare eisdem conditionibus
Seuerioris consilij comes.
Vtrumque sic pectus beatus
Stringet amor meliore nodo.

EREMVS SPOLETANA.

AD IACOBVM FORCALDVM.

ODE XXV.

THEBAIDOS superæ quondam incola plaudite turba,
O spontè terris exules;
Qui steriles frugum Ægypti coluistis are-
Sed sanctitatis fertiles: [nas,
Maiorum reuocant præclara exempla mi-
Nec segnibus vestigia [nores,
Vestra premunt cœptis. Vidi; & res visa
Horrore pectus pertulit. [profundo
Circum præcipites scopuli frondente thea-
Vallem coronant subditam. [tro
Spoleti hoc vrbem natiuo prouida cinxit
Natura propugnaculo.
Hybernus torrens gemini diuortia montis
Interfluit, si quam arido
Ore bibit pluuiam, aut collectum è mon-
Sitiente traxit alueo. [tibus imbrem
Mons dexter calidos surgit conuersus ad
Longísque solibus intepet. [austros
At qui læua tenet, gelidis aquilonibus al-
Diémque acerbum funerat. [get,
Hunc

Hunc nouus Hilarion, mores noménque
Secutus, & vitæ genus, [prioris
(Hoc tantùm inferior; quod læuâ compu-
Et pauciores altero [tat annos,
Autumnos numerat, necdum centesimus
Frontem December aggrauat.) [illi
Incolit, aspectu horridior: nam sylua co-
Humeros inũbrat, densior, [marum
Barba tegit fruticosum impexo vellere pe-
Setáque aprugnâ durior [ctus;
Vestis membra premit, nisi longam attrita
Quâ parte sensit. Arduo [senectam
Pendet fixa domus scopulo: quam nec fera
Adire securo pede, [Tygris
Nec nidum audaces catulis immitibus vr-
Vt rupe celent, audeant: [sæ;
Lassis vix aquilæ vincant fastigia pennis,
Famelicíque vultures.
Tantùm vltrà nubes elato vertice crescit,
Tantúmque rursus horrido
Mons nigram in vallem præceps descendit
Palmaris illic semita.
Incisa in saxis aut ferro, aut tempore longo
Signat pedum vestigia:
Aut dubios si fortè gradus, aut lubricus hu-
Aut saxa fallant; ilicet [mor,
Tesqua per horrida prono vertice, per sa-
Prærupta duro volueris [lebras, &
Saxa iugò; donec subiecta vorago minutum
Sinu receptet puluerem.
Qualis Sysiphio de vertice lapsus, ad ima
Relabitur ruens lapis.
Et tamen hanc sedem, terris post terga re-
Egregius exul incolit: [lictis
Vnde polo propior subiectas despicit vr-
Et alta honorum culmina. [bes,

Quà

Quà clementior eſt, numeroſo examine
Vulgus beatum poſsident [montem,
Cultores nemorum; notiſque queruntur
Errare ſe luſtris feræ. [abactæ
Nos affixa ſolo diuinæ ſemina flammæ
Tenemus; atque originis
Immemores noſtræ, ſeu muta animantia,
Spectamus ore cernuo, [terras
Vix oculos auſi vix cælo attollere men-
Vtráque nubes mittere [tem;
Vota, & humo curas humiles auellere,
Magno ſacratas Numini. [curas

AD S. GILBERTVM.

ODE XXVI.

SYLVARVM amicus, horridi cultor iugi,
Poſt ſtudia Martis, & impios
Belli tumultus ſuetus incerto gradu
Errare ſolis montibus:
Vbi aura cœlo purior ſpirans, leui
Quercus ſuſurro ventilat
Adſibilantes, róſque manè defluus
Aſpergit altas æſculos,
Gilberte, quando me Spoleti ſaltibus
Receſſus inuitat ſacer
Mentem & ſupinas tollere in cœlũ manus,
Humóque frontem cernuam,
Tu me imperitum, quo magis ſanctos de-
Ore alloqui ſuperos, doce; [cet
Quo more cœlum ambire. Nec ceſſa pij
Obliuioſam Numinis
Diſcutere pigris ſenſibus ſocordiam,
Si ſomnolento obrepſerit,
Sic thure largo te quotannis, & face
Toloſa

Tolosa centenâ colat;
Arísque supplex turba votiuo caput
Adoret auro conditum.
Sic paruo in ære magna virtus, quam re-
Imago breuibus lineis, [fert
Perstringat oculos intuentium, & frigidis
Accendat ignes cordibus.

AD PAVLVM CAMILLVM.

ODE XXVII.

QVAMVIS olorum funere musico
Et fabuloso suauior Orpheo,
Cantúque Sirenum, Camille,
Vox tibi sit, meliórque tensas
Pulsare chordas dextra, licet tuam
Secuta vocem carmine non pari
Frequentiùs vinci è propinqua
Impatiens Philomela syluâ
Rumpat canorum guttur, & impia
Surdis renarret crimina quercubus,
Et quæ nihil sensura muto
Sylua tacet geminata luco.
(Nam si qua nostris mens foret æsculis,
Si quisue truncis sensus; vt Orphea
Quondam secutæ, sic opacâ
Te temerè sequerentur vmbrâ.)
Orpheus, Appollo sis licet, attamen
Te feriato pectine non diu
Silere fas est: tensa laxo
Fila iugo modicè remitte.
Maioris autor consilij Deus
In te loquetur; si tamen audias,
Vt te decet vocem loquentis,
Atque animo memori recondas
Audita.

Audita. Cantum mox repetes, nisi
Mauis fideli sacra silentio
Reuoluere argumenta Cygno
Iam melior taciturnus ales.

AD
LVDOVIC. CONFALONERIVM.
ODE XXVIII.

EXTREMOS adeam licet
Francorsi Morinos; Tectosagsi vltima,
Et, quæ non patiens togæ
Totis Italiæ dissidet Alpibus,
Iussus visere Galliam.
Æui nulla dies eximet intimo
Te sub pectore conditum
Ludouice, mihi: seu Rhodani citi
Prono deferar alueo;
Seu me lentus Arar flumine languido
Formosúsve Liger vehat.
Et te Roma quidem, Roma tuo vrbium
Par sola ingenio, colet:
Nec plausu tacito nobilis audiet
Consultum sapientiæ.
Nos Aruerna pigris frigora noctibus
Obscurâ in latebrâ tegent.
Aut magnæ simulacrum Italiæ breue
Tellus ardua Vasconum,
Clararum exiguis mænibus vrbium
Gaudens claudere nomina.
Sic olim exulibus Xanthus, & Ilium, &
Regnum angustus ager fuit.
Quò me cunque tamen sors mea deferet,
Tempestásque, tui memor
Te sæpe ore loquar, sæpe animo geram.

At tu, cùm superi volent,
Si quando veniam funereâ in tuas
Inclusus schedulâ manus
(Curæ si qua tuæ pars erit hæc) citò
Notis mitte sodalibus.
Arcanísque sacris ore ter & quater
Gilbertum ingeminans pio;
Dic, Gilberte, quies te facilis tegat;
Mox cœli Deus arbiter
Mentem sidereis ignibus inferat.
Certè, si superest amor;
Si non vrna eadem, quæ cinerem premit
Immortalem animi pij
Affectum tacito detinet in sinu:
Occurram tibi sæpiùs
Velatus placidi nube silentij;
Iam formosior aspici
Æternæ referens lucis imaginem
Vt fatis videas amorem, Extremísque rogis esse superstitem,
Quem fato & nece fortior
Castis inseruit pectoribus Deus.

AD IVSTVM LVDOVICVM, TVRNONIVM, IVSTI HENRICI Illustrissimi Comitis filium.

ODE XXIX.

ANTIQVÆ noua spes domus,
Heroûm soboles, nec veteri patrum
Stirpi surcule degener;
Ludouice, senis (sic superi sinant!)
Henrici & populorum amor.
Quando iam patriâ nobilis indole,

Felici

Felici puer impetu
Ætati teneræ, & præcoce ſegnibus
Annis, ingenio præis.
Ne claræ numeres gentis imagines,
Maiorúmque potentium
Contentus titulis ambitioſiùs
Iactes atria, ductiles
Quæ ceræ gemino circumeunt choro,
Aut faſtos memores tuis
Signatos atauis: clara minoribus
Quorum nomina poſteris
Æternat pietas, & meritas colit
Aras frugibus Indicis.
Aut belli egregio puluere ſordidos
Ac lauro caput horridum
Ornatos celebrat gloria, & hoſticis
Virtus nota cohortibus.
Nec quorum imperio curia paruit,
Regnantíſque ſupercilij
Nutu, & conſilio Gallica res ſtetit.
Sed veſtigia ſtrenuus
Maiorum ſequere, & tramitis ardui
Quà ſe pandit iter, preme.
Nec vanis timidus cede pauoribus:
Quanquam armata periculis
Bellonæ facies, & ſocius furor
Martis, ſtragibus impijs
Exultans medius lumina territet.
Nunc Patris ſapientiam
Ac mentem teneris ſenſibus imbue;
Nec ſegnem capulo manum
Robúrque egregij pectoris aſpice:
Mox, cùm bello habilem virum
Ætas te melior fecerit, arduis
Indurata laboribus,
Diſpones acies, & labarum aureâ
Flammâ

Flammâ conſpicuum efferens
Hærebis lateri Borbonio comes
Dextrâ & conſilio bonus,
Ac vinctus meritâ tempora laureâ:
Quando Henricus ouans tuis
Turnonúmq; frequens plaudet honoribus.
Et laudis Rhodanus tuæ
Phocææ Thetidi nuncius influet.
Illuſtres titulis aui
Contingant minimâ parte ſuperſtitem.
Laudem, quam cinis aridus
Præbet poſt genitis, aura feret leuis.
Tu, ſi quid modò feceris,
Ludouice, tuum iure vocaueris.

HVMANÆ VITÆ FVGA.

ODE XXX.

AVREA iuba minax
Rugire flammas iam leo nocentes
Deſijt. Caput graue
Autumnus vuis mitibus totondit.
Horridis hyems comis
Spargit caducas montibus pruinas;
Et pigris Decembribus
Niues amicas liberalis auget,
Vnde montium iuga,
Creuere cœlo fronte duplicatâ.
Verùm vbi ſatellites
Veris Fauoni mitiore cœlum
Mollient anhelitu,
Natura vultum lætior reſumet.
Vtque anus ſolent genis
Æquare rugas, atque purpuriſſo
Ora laxa tingere,

Vacuásque eburno armare dente malas.
Sic virentibus comis
Iuuenescet annus, arborésque caluas
Fronde vestiens nouâ
Rebus colorem reddet ante raptum.
Sic reciprocâ vice
Alternat orbis siderum choreas;
Nec, teres, diu rotas
Sufflaminare curat incitatas.
Nósque nescios rapit
Circumuoluto tempus axe, donec
Mensium breues moras,
Et spatia vitæ peruolet suprema.
Cúmque crinibus niues,
Frigúsque venis sparserit senectus:
Solibus retrogradis
Frustrà iuuentæ ver redire speres.
Frigidus semel nequit
Tepere sanguis, nec niues recedunt.

AD R. P.
NICOLAVM RICHARDVM,
DOMINICANI ORDINIS
Concionatorem, Theologum, &
sacri Apostolici Palatij
Magistrum.

ODE XXXI.

RICHARDE, largâ cui suas opes manu
Natura fudit prodiga,
Cœlúmque liberale multo nectare
Mentem benignè perpluit:
Nec, quo solet cratere, dimensa est tenax
Pronæa; Sed totam tibi
Inuertit

Inuertit vrnam, & auream benigniùs
Venam perennis ingenj
Manare iussit: seu velis torrentior
Intemperante Tyberj,
Cùm vere pluuio & niuibus Alpinis satur
Se iactat insolentiùs,
Versare mentes grandis eloquij potens,
Et rapere nolentes licet:
Siue amne puro placidus; atque argentea
Illimis vndâ volueris,
Auréſque bibulas imbre cœli plurimo,
Romámque sitientem beas.
Seu curioso lumine audes aggredi
Arcana naturæ abdita:
Seu vis per altos fugere tractus nubium;
Vilémque despectans humum
Tentare nostrâ sede semotum æthera,
Cœlique lucentes plagas:
Et intueri Numinis purum iubar
Terníque fontem luminis,
Dum pergis alti non inæquali gradu
THOMÆ sequi vestigia:
Quem veritas amica securo pede
Duxit per anfractus vagos
Quà fluxuosis implicans sinibus sinus
Illudit error mentibus.
Cretæa qualis Virgo fido stamine
Minoïs errantes gradus
Per cæca duxit spatia, & artis Dædalæ
Inexplicabiles vias.
Licet recurrens textu inobseruabili
Labyrinthus in se, luderet.
Huic te gemellum mentis accensæ vigor,
Niueíque iunxit Ordinis
Sors vna, qui tot syderum accendit faces,
Cœlo tot Heroas tulit,

Richarde, clarum nomen Italiæ, & tuæ
Illustre sidus patriæ,
Quo Genua maius, nec iubar sapientiæ
Nec clarius monstrum tulit
Regina quamuis inferum felix mare
Portu coronet inclyto,
Si plura monstra, plura prodigia ingenî
Ligustico natant sinu
Vacuum relinquat Herculis polum labor,
Astrisque lucentes feræ;
Liguria mittet digniora splendido
Lucere cœlo sydera,

AD

HIERONYMVM PETRVCCIVM.

ODE XXXII.

SACRI, Petrucci, pectinis arbiter,
Probante cœlo carmina, Maximi
Secutus VRBANI verendum
Imperium atque modos, Latinis
Templis redonas: artifici fides
Dudum solutas pollice digeris,
Neruósque discordes ad aurem
Concilias; modicóque tractu,
Et erudito pectine temperas;
Laxata tendens fila modestiùs
Artémque concentúmque prudens
Romuleâ pietate misces.
Macte, ô canoro clarior Orpheo:
Dum sacra Diuis æmula concinent
Odæa, dum Iessæa mystæ
Plectra manu ferient Latini:
Et Vaticanis sub penetralibus

Percussa

Percussa quondam pollice Regio
Dum fila, Dauidísque carmen
Fatidicæque fides sonabunt
Ætas silebit nulla Petrucij
Pium laborem. Nec tamen hinc tibi
Speranda laus est, consecrata
Plectra Deo, superísque ludunt.

AD MARCHIONEM SFORTIAM Pallauicinum.

ODE XXXIII.

STIRPIS honor vetustæ
Pallauicine, inter auos numeras priores
Lumina Gallicanæ
Gentis, Heroûm seriem stemmatibus de- [coram:
Vnde fluens origo
Italis te Patricijs miscuit, & volantem
Colla per ac solutam
Liberâ ceruice comam stringere mox to- [gatâ
Te regione iussit.
Clara Maiorum titulis, nominibúsque
Nunc sibi te Quirina [Parma.
Roma blanditur, Latiæ grande decus iu- [uentæ
Sfortia, Dædalææ
Gemma naturæ, ingeniorum vltima meta,
Summus apex Lycæi: [docti
Quà potens Natura tenus tendere vix sibi
Se potuisse credit [ipsi
Et suum miratur opus fessa labore tanto,
Egregióque partu.
Phœbus errantem Aonijs te similem sibi
Miscuit integrarum [antris
Sæpe Musarum choreis; & pede tacta raro
Per iuga suasit ire,

Entheus quo te calor, & vis animi trahe-
Nec tibi Suada, vinctis [bat.
Auribus regna & tacitas quæ moderatur
Nectare labra parco. [vrbes;
Sparsit, & linguam eloquij prodiga melle
Ni meliore curâ [tinxit.
Abditis naturæ adytis visere tecta malles;
Aut super astra, fidens
Ingenî pennâ volucri, liberiùs vagari
Quà licet; & negata
Sidera humanis oculis, lumine curioso
Inspicere, atque cæcis
Clausa rimari latebris non prohibente
Te quoque flexuosos [cœlo.
Inter anfractus dubij iuris, amica recto
Calle manu prehensum
Duxit Astræa, & veterũ dicitur ipsa rubras
Euoluïsse leges,
Et sacro priscæ Themidos te statuisse tem-
At sine labe pectus, [plo.
Fabulâ nullâ Veneris nobilis & iuuentus,
Sfortia, te prophano
Exemit vulgo, & superis te super astra iun-
Macte, age: si qua merces [gunt.
Fortè virtuti posita est, ingenióq; (nec iam
Laus vitiis petenda est)
Artibus si quod pretium deterior priore
Nostra reliquit ætas:
Maior hoc sęclo ingenij lux, niueíq; mores
(Sfortia crede vati)
Purpuram, VRBANO meriti iudice polli-
Ni tamen hoc inerti [centur,
Ostrum adoratum populo, seu phaleras
Interituri honoris [inanes
(Vera quas virtus refugit, cætera turba
Despicies; & vnâ [captat)
Laude

Laude virtutis facies inuidiam sinistris
Sortibus, & maligno
Sæculo. Hac cura sapiens, & superis ami- [cus
Cætera Tyberini
Amnis in morem fugiunt, cùm pluuio No- [uembri
Ebrius insolenter
Pulsat Ethruscũ pelagus; aut Anienis arcti
Cum sonitu minaci
Impotẽter præcipites per salebras ruentis.
Surgit in astra virtus;
Sola natales repetit non moritura flãmas:
Et memor vnde vênit, [cœlum.
Lapsa de cœlo, repetit, qua licet arte,

AD D. SEBASTIANVM.

ODE XXXIV.

DIVE, qui duro religata trunco
Membra confixus, numerosa victor
Tela, centeno volucrem tulisti
Vulnere syluam.
Sic tuas Narbo generosus aras
Thure votiuo colat, & decoras
Italis pugnet Medióque Iano
Cædere cunas.
Ducta sic ædes meliore dextrâ
Duret augusto reparata templo,
Roma quam supplex populo frequentĩ
Sæpe reuisat;
Tela, quæ tenso minitatur arcu
Vltor è cœlo Deus, ebriámque
Sanguinis pestem cohibe; nec vltrà
Barbara Francos
Cædibus diris populetur agros.
Nescit iratum veniam negare

Sontibus Numen, lacrymisque mollem
Diluit iram.
Sæpius flammas volucres coruscis
Nubibus spargit: sed vbi fragore
Terruit gentes, ferit innocenti
Fulmine quercus.

EPODON

EPODON
LIBER VNVS.

AD R. P.
MVTIVM VITELLESCVM,
SOCIETATIS IESV
Præpositum Generalem.

ODE I.

PRISCORVM decus, & pium
Maiorum monimentum, vt facilè indolis
Augustæ specimen probas.
Vt cusus veteri nummus imagine
Vultus Cæsareos refert.
Muti Romuleo sanguine nobilis:
Sed magni generis decus,
Lauros marmoreis frontibus additas,
Atque vrbis senio pares
Maiorum pietas vincit imagines.
Vna hæc nobilitat magis
Contemptorem animum gloriæ, & arduis
Pectus maius honoribus,
Quàm si sors auido prodiga munerum
Impleret cupidos sinus,
Aut fronti Latias adderet infulas.
Quanquam tu modico lare
Contentus, nitidæ dotis & indigâ
Paupertate

Paupertate potentior,
Fines imperij porrigis Arctici
Vltra littora Bosphori,
Vastósque Æthiopas solibus Africis;
Et si qua altera proximo
Friget terra polo deuia solibus;
Aut mundi propè terminos
Inclusa Oceano, & dissociabilis
Notis gentibus, vltimo
Cœlorum regio margine clauditur.
Te nouere retorridi
Impexáque comis fronte Socotoræ;
Te pingues Monomotapæ.
Te Narsinga potens, te Malabar leuis.
Te classe aurea laudibus
Non cessura Ophyræ Sofala: & Indico
Alter qui Tanaïs polo
Conseruans fluuio nomen Amazonum,
Argento melior fluit.
Te nostro madidi sanguine Caffares:
Et quondam Brasili truces,
Qui cæsos tepidis lancibus hospites
Festâ luce reponerent.
Damnatámque epulis, & genialibus
Mensis canitiem Patrum,
Iam bello & rigidæ gentis inutilem
Diris artibus adderent.
Te Paræ steriles, & Canaæ memor
Tot sæclis Cananor, pio
Obscuram retinens nomine originem;
Et flammis melioribus
Quos testis fidei clarat Iaponas
Ac lentis facibus pyra.
Curarum immodicus desine grandibus
Impallere negotiis.
Permitte vt facilis de solido quies
Demat

Demat particulam die;
Et te, dum redeat sanguis, & aridis
Succus,, dúmque color genis,
Commendet placido sæpiùs otio.
Has natura vices amat:
Sol fessus liquido mergitur æquore;
Nox clarum sequitur diem.
Et pacem implacidis fluctibus Adriæ,
Iratísque Aquilonibus
Pacem nidificans Alcyone facit.
Non duri solido tibi
Artus ære rigent, ossáque marmore.
Naturæ fragilis memor,
Vt dures, animo parciùs impera.

B. VIRGO MARIA STELLA.

ODE II.

SI quia regũt orbẽ dubiis erroribus astra,
Fatique stellæ præsides:
Humanásque vices labentia sidera certis
Dimetiuntur cursibus.
Inferior falli veritas si subdita cœlo
Natura leges accipit.
Et iam iracũdo mortalia schemate signant
Ignes maligni tempora;
Iam læto aspectu natalem horoscopus ho-
Flamma intuetur mitior, [ram, &
Præsagámq; notat genituram, ignésq; futu-
Felicitatis augures. [ræ
Vnica fatali mihi sidere flamma MARIÆ,
Vitæque domina fulgeat.
Tunc fortunatos voluet sol cãdidus annos,
Et concolores aureo [rúmque
Decurrent sæclo mihi menses sponte; pa-
Curabo

Curabo quid cœlum minax,
Signáque portendant inimicis iuncta Pla-
Aut versa Lunæ Almugea. [netis,
Seu decimâ fortuna domo mihi læua mi-
Seu stella Saturni impio [netur;
Obliquè irradians Marti; seu quidquid ini-
Chaldæus astris imputat; [quis
Aut numeros Babylon vafra, & culpare ca-
Flammā innocentē sideris. [dentis
Ipse mihi famulus iussis erroribus æther,
Cœlum MARIÆ seruiet.
Formosos radiis & puro lumine soles
Nulla inquinabunt nubila.
Mox, vbi sepositos pars altera liquerit ar-
Ortus sui non immemor [tus;
Spiritus astra petet pennis melioribus, au-
Aucturus astrorum choros. [reos
Tunc face despiciet mortalia regna super-
Ac vacua terras nomina, [bâ,
Et maria, & mundos, & scenica personatæ
Felicitatis somnia.

LVDOVICVS CARDINALIS LVDOVISIVS S. IGNATIO Templum excitat.

ODE III.

ASSVETE votis iam vocari, & supplices
Damnare votorum reos;
Ex quo Beatis cælitum cultu pari
Te destinauit sedibus
E Vaticano Ludouisius throno.
Et efficaci carmine
Aris sacrauit, arduísque honoribus
Ritû

Ritu Quirino sancijt.
Magni nepotem Gregorj, sacrum tibi
Cœlóque dilectum caput
Iubar Latinæ purpuræ, dignum diu
Lucere sidus patriæ,
Non immerentem principem, Ignati, polo
Tutela præsens sospita.
Bononiámque, quam pio voto tuis
Admouit aris supplicem
Insomnis astri luce condi nesciâ, &
Fido tuere sidere.
Et scis mereri plura Ludouisium
Non improbando fœnore:
Nam te ille primus Vaticanis ritibus
Admouit aris Cœlitem,
Mixtúmque superis aureo curru dedit
Parambulare sidera.
Idémque primus ipse votorum memor
Admouit aras cœliti; &
Molem, propinquum quæ superbo vertice
Obumbret altè Pantheon,
Ignatianæ gloriæ testem dicat
Suíque amoris obsidem.

AD IOANNEM BORIANVM.

ODE IV.

IAM tarda flauis non recessuras niues
Aspersit ætas crinibus.
Auróque puro barba nuper concolor
Argento inerte palluit,
Mæandri olores, aut amygdalum refert
Præcocibus albam floribus.
Solito minores iámque subsidiaria
Crystallus auget litteras

Geminæque

Geminæque euruo narium Lunæ iugo
Equitant, & hinc inde insident.
Vt lumina iuuent nuper astris æmula
Aprilibúsque solibus.
Dum Galliarum publicis curis senem
Te Roma sollicitum tenet;
Interminatis lenta dum negotijs
Te defatigat curia.
Ecquando, Foriane, donatus rude
Alpes reuises ninguidas?
Ecquando amœnæ rura tanges Galliæ?
Vbi spirat aura mollior,
Meliúsque cœlum, & (si qua luminibus fides)
Sereniùs soles nitent.
Vbi artium fucique simplicitas rudis,
Priscóque adulta sæculo;
Puróque fraudum ab ore voces intimo
Consentientes pectori,
Quas liberali temperat frequens sale
Sine felle risus innocens
Nunquámne amati Mauriâci in angulo
Lassam quietis sedibus
Pones senectam? (namq; nidū illū vltimæ
Olim senectæ optaueras.
Tibi si notasset grandibus rugis grauem
Bissena frontem Olympias,
Quæ iam premit te proximo senem gradu
Tergóque velox imminet.)
Nunquam otiosus consitum lucum tuâ,
Lætúmque pometum manu
Videbis? insitiua decerpens pyra,
Et arbores adulteras,
Quæ stirpe amicâ spurios fructus alunt,
Fœtúsque tollunt non suos,
Illic sub vmbra iunioris ilicis,
Quam, Boriane, seueris
(A

(At nunc comis adulta felicem manum
Teſtatur, & ſuperat nemus)
Aut ſub vetuſtæ frondibus quercus, humi
Puro refuſi in gramine
Frangemus æſtum, & frigus inuitâ licet
Captabimus caniculâ:
Quæ dira Romæ funebrẽ pompam frequẽs
Adornat, & Septembribus
Parat malignis feretra; nec Saluſtij,
Nec Curij nepotulis,
Nec purpuratis parcit atrox frontibus.
At nos periculo procul
Sermone longo, ſed pios qualis decet,
Condemus æſtiuam diem:
Curas amaras, atque curarum ſata
Quæ fertili propagine
Proſeminantur, Indicæ vt ficus, iocis
Riſúque funerabimus.
Nec delicatum Tiburis gelidi nemus
Aut mitioris Tuſculi
Fontes amœnos, & propinquis languidas
Quæremus auras montibus.
Illic ſedentes, Martyrum occultas ſpecus,
Et Chriſtiano ſanguine
Signata Romæ ſaxa more non nouo,
Aut templa ſeptem obibimus,
Ternóſque fontes, Paulus olim lacteo
Quos conſecrauit ſanguine.
Vnde & ſaporem duxit vnda, & faucibus
Libata ieiunis refert.
Nec quadrifronti ponte, nec Tybrim rate
Tranſibimus ſicco pede.
Et quà inde flauo colle Ianiculus tumet,
Superbus aureo nomine;
Laſsíque tandem montes ignauo gradu
Accliue ſcandemus iugum:

Cruore

Cruore Petrus quem notauit, & piè
Signauit inuersâ cruce.
Mergemus illic fonte Paulino sitim,
Vbi dracones innocens
Fundunt venenum fistuloso marmore,
Vndámque parcè temperant.
Ibi, quanta quãta est, Roma luminibus sub-
Pars nulla spectantem fugit [est
Quàm parua Roma est, quàm capacior sinu
Pupillâ claudit tam breui!
Tene illa clausum teneat oblitum tui,
Et patriæ immemorem tuæ?
Tibi, Boriane, Deóque, dum tempus sinit,
Ætásque iam tandem vaca.
Negotiorum hoc omnium, hoc vnum tibi
Sit maximum negotium.
Amentis est curare diligentiùs
Aliena neglectis suis.
Debemus animam creditori reddere,
Vtenda quæ nobis data est
Quam constituto tempore repetet Deus:
Seu sponte reddas, seu neges.

TVSCVLVM ALDOBRANDIN

ODE V.

MIRARIS, hospes, Tusculi miracula
Quibus ars superba prouocat
Naturam, & arti penè victrici inuidet
Natura, & imitari cupit.
Natali in vndâ cedere indigenam pudet
Tophum propinquo marmori.
Ac vera fictæ liuet arbor arbori;
Et comparata se putat
Trãsisse fictam in arborem, aut fictá ma
Tran

Tranſiſſe veram in arborem.
Timent coloni poma marmoreâ manu
Acerba Nymphæ ne legant,
Frontem theatri quæ coronant, & licet
E lapide fur Cyllenius.
Pleno interim vnda defluit ſenſim alueo,
Implétque conchas diuites:
Hærétque ſpontè, & tardiore voluitur
Lapſu per accliues gradus.
Gaudet retortis ire mæandris; ſuas
Sentire delicias putes:
Aut delicatis illecebrarum modis
Et blandiente murmure
Cornu ſonátem velle Centaurum alloqui,
Laſſâ Cyclopem arundine, [aut
Qui ſcopulo ab alto mulcet vndas canti-
Septemplicíque fiſtulâ; [bus,
Dum tuta biiugos eſſedo conchæ inſidens
Galatea delphinas premit.
Quid muſico mirante Parnaſsi iugo
Facunda dicam marmora?
Viuíſque doctiora vocali ſono
Dicam ora Muſas ſoluere,
Fidéſque mixtas fiſtulis, & tibiæ
Sonare coniunctam chelin,
Quæ iam minantem ſaltu & alis Pegaſum
Abire, longum detinet?
Quid Atlanta, collo qui fatigato polum
Nunquam ſerenum ſuſtinet;
Fruſtrà & ſubire ponderi vicariâ
Ceruice ſperat Herculem?
Quid vnda dicam vt horrido tonitrus ſo-
Et vera fingit fulmina, [no
Imitata flammas vnda & imbrē ſulphuris,
Vdáſque ſcintillas vomit?
Qualis ſereno Roma cùm cœlo frequens

Arsit lucernis vigilibus,
Ab Adrianâ mole fulsit innocens
Crini cometes igneo,
Comámque cœlo sparsit, & multâ face
Tybrin tepentem exterruit:
Solemnis inde flamma votiuum diem,
Et ciuitatis gaudia
Testatur, altâ nocte cùm cœlo redux
Vesper reuexit aureo
Curru nitentem Lunam, & astrorũ choros
Festámque pompam siderum
Quæ Vaticano prima surgentes iugo
Aspexit Vrbanas apes;
Et altiorem rebus humanis, triplex
Frontem corona quam premit:
Risitque cœlum mite, & VRBANO vetus
Promisit aurum sæculo.
Miraris, hospes, illecebrosas aquas,
Locíque luxuriem: licet,
Et quaquauersus ora conuertas, licet
Mireris. At prudens caue;
Caue; latentes marmor insidias tegit:
Nam plurimis siphonibus
Vibratur vnda perfida, & turbam hospitem
Nimbo sereno perpluit,
Et liberali fronte spectantum comas
Vultúsque spargit vuidos.
Seu fraudulento Nympha ridens vrceo
(Dicas parentem Aquarij,
Qui vecta ab Arcto frigora & Iani niues
Vrnâ capace diluit)
Effundat imbres: rore seu modestius
Musæ Caballino pluant
Seu dente Tygris, vngue terribilis Leo
Iaculetur iratas aquas.
Seu fraudè cæcâ pedibus impulso gradu
Dolosus

Dolosus erumpat latex;
Aut hinc & inde latera cingentes aquæ
Nihil timentes opprimant,
Vultu supino dum columnis defluam
Per annulos spectant aquam:
Nam mille furtis, mille technarum modis,
Mille vnda seruit fraudibus.
At quidquid illa est pompa, quanta quanta
Quæ te stupentem distinet; [sit,
Fraus, ventus, vnda est: venti & vndæ pars
Seruata fraudi maior est. [minor,
Naturæ & artis par quoque ingeniũ vides,
Similésque, si sapis, dolos.
Nam pompa rerum, nuda honorũ nomina
Et bracteata vanitas
Tectorio felicitatis nomine,
Fraus, ventus, vnda est: sed tamen
Fraudis facultas maior; hæc spectaculo
Fallit volentes ludicro;
Hæc scenam adornat, atq; sipparium mo-
Agítque vitæ fabulam. [uet,

AD IOANNEM ARNVLPHVM.

ODE VI.

PRIVS coruscâ quàm Leo minax iubâ
Stellas minores terreat
Et Iuliâ irritatus à Caniculâ
Romam releget Tusculum,
Aut molle Tibur, quo vel aura suauior
Immite cœlum temperet,
Vel delicatus æstus & nemorum iugis
Afflatus aër algeat.
Arnulphe cœli grande sidus Gallici,
Nostræque lux Aruerniæ

Romam valere, seu lubet seu non lubet,
Et quidquid est Romæ, iube
Regnorum iaspis, vrbium carbunculus,
Flos orbis, Europæ annulus
Amœnitatum corculum, sacrarium
Virtutum, honorum regia;
Et si quid vltrà est, Magna te Lutetia
Arnulphe iam dudùm vocat.
Iam densa templum cõcio angustum facit,
Iam triplicato fœnore
Locariorum turba scansiles gradus
Auro superba pernegat.
At tu quid auidas lentus expectantium
Frustraris aures ciuium.
Auara qualis impio nubes sinu
Deludit aruorum sitim
Quid hospitalis illecebroso sinu
Tyrrhena Siren tamdiu
Tenet morantem? quid virentes Capreæ?
Quid litus infrequentius
Amœnitatis molle diuersorium
Baiæ natatæ amoribus.
Quondam æstuantem Vesbium, nunc te iu-
Adire securo pede. [uat
Nunc curiosus vatis insanæ specum
Nigrásque thermas aspicis,
Fontémque libas, fabulosus te latex
Si fortè diuinum excitet.
Idem ipse Teucris & Sybilla audacior
Immane ditis ostium,
Quà cæca furuos ducit ad manes via,
Nullum reperturus petit.
Lustrásque vanus quidquid antiquis Maro
Mendacior Græcis canit.
At, dum moraris, interim semper breue
Ver consenescit, & fugax

Anni

Anni iuuentam mensium rapit chorus,
Veterésque Lunas imputat.
Iam ratibus altis inferum latet mare,
Iam littus Ethruscum calet
Turbâ frequenti. Eamus: aspirans Notus
Sodale cum Fauonio
Blanditur vndis: altera optato rates
Aurora iunget littori.
Ibi grandiora te manent negotia,
Curæque non infertiles;
Quæ pectus ingens & animã vastã impleãt
Lentæ quietis insciam
Impigra cursus astra perpetuus rapit
Cœli per ardentes plagas.
Sed hos labores clara tandem & siderum
Æterna pensabit quies.
Nos segniores quos pigra obsessos tenet
Pinguis quies inertiâ,
Premet tenebris conditos inglorio
Ignaua nox silentio.

AD BENIGNVM MVNERIVM

ODE VII.

BENIGNE, dignos cui benigna nomine
Natura mores contulit;
Vultum sereno sideri parem, amabili
Risum innocentem lumine;
Placidámq; frõtem, quam comes modestia
Vrbanitatis obsidet;
Indéxque puræ mentis, & benè consciæ,
Sempérque par tranquilitas.
Qualem quietis aut Garumna fluctibus,
Aut Santonum refert mare.
Venti fauere quando modulantibus

Iubentur Alcedonijs.
Carum ô Benigni nomen! inſcriptum mihi
In intimis præcordijs!
Ingrata nunquam te dies, nec Muneri
Delebit ætas immemor.
Namque euaganti, quà trahebat impetus,
Sanguiſque venis æſtuans,
Fræna addidiſti cautior licentiæ
Doctâque rexiſti manu:
Ne me iuuentas inſolens dominæ pati
Arbitria mentis, & ſui
Ignara caſus raperet in præceps, diu
Fruſtráque plorandum tibi.
Qualis relictâ nuper alto in gramine
Parente, pullus, & fugâ
Certare vento promptus, intactâ comam
Ceruice liber ventilat;
Equitémque dedignatur, & tergo excutit,
Parere fræno neſcius.
Tu me proteruum, tu reluctantem licet
Chriſti ſubegiſti iugo
Seruire: libertate ſed pretioſior
Regnóque ſeruitus mihi eſt.

AD LVDOVICVM ROBERTVM Vitrium Paræneticon.

ODE VIII.

VITRI meorũ magna pars ſodalium,
Et Belgij tui decus;
Qui clara auorum decora calcaſti pio,
Roſáſque gentiles pede.
Quanquam tuorum exempla quod ſequeris tuæ
Pars laudis hæc parte eſt minor.
Quid

Quid obſtinatis incubas chartis? miſer,
Malè inſolenter pertinax:
Fraudare dulci laſſa ſomno lumina,
Maialibúſque ferijs?
Quid mentem inani diſtines imagine;
Chimæricóque ludicro
Hirci atque cerui monſtra, diſſociabilis
Natura quæ iungi vetat,
Nexu erudito copulas, & ſcenicus
Tibi artifex ludos facis?
Vt circulator doctus arte Empiricâ
Turbam otioſam fallere,
Plebem ſuperbis ebriam mendacijs
In Circo Agonali tenet.
Aut priſca vaſtum Flora quà campum ex-
Liguſticis Baronibus. [plicat
Sublimis vltrà ſolis atque anni vias
Sublatus alis ingenî
Licet pererres aſtra, & æternum iubar
Condi volentis Numinis,
Et curioſâ mente, & acri lumine
Spectare mortalis velis.
Paréſque flammis ſpiritus more Icari,
Aut mente tentes Dædalâ
Obliuiofus ſortis humanæ ſequi;
Et quidquid occultum benè
Caliginoſâ nocte celauit Deus
Imperuiiſque nubibus.
Omitte curas tetricæ Sapientiæ,
Et erudita iurgia;
Iuſtúmque pone ſobriis curis modum.
Mecum reuiſe Tuſculi
Agrum reclinem, aut Algidi dēſum nemus;
Aut vallis Albanæ lacum,
Quem deuiis montes coronant rupibus,
Multâque cingunt ilice.

Quod si iuuentæ Belgicæ flos integer
    Cum patruo ac sodalibus
Occurrat Andus, & cacumen arduum
    Tentare nobiscum velit:
Visurus astris nobiles cohortibus
    Campos, & arua Mauricis
Metata Romam proximè legionibus:
    Tu, ne diem sacrum eligat
Fastidiosis esuritionibus
    (Si quid sapit) prudens mone:
Grata vt viarum sit comes laguncula,
    Quæ mille pueris gratias
Aluo capace gestet, & dicteria
    Mille, innocentes & iocos.
At si prioris immemor luctæ volet
    Rursum remetiri solum
Robustiorem dum proteruus impari
    Pugnâ sodalem prouocat;
Anteambulonem mittat Omeranium,
    Vicina qui lustret loca;
Phidile inopina ne iacentem irrideat
    Cum rustico Palæmone.
Quòd si integrare Barbaros placet choros
    Parùm modestis saltibus,
Rudésque Satyros inquilinos Algidi
    Volante gressu vincere
Heu! ne insalubres Rupico fungos legens,
    Malè ominatus Annibal
Castris relictis exulans, Afrum genus
    Cœptas choreas dissipet.
Sic fruere vitâ, dum licet. Sic te monet
    Maligna tussis, improbo
Fallax tumultu molle quæ pectus quatit,
    Venísque Mercurialibus
Docti cruoris insolentam vndam elicit;
    Prodítque, quod latet, malum.

Quid

Quid studia prosunt, aut quid ingratus labor
Vitæ innocentis carnifex?
Aut quid superstes fama cineri frigido,
Et nomine inscriptus lapis?
Si titulum & ossa posteris relinquimus,
Breuémque Manes fabulam?
Æterna primùm cura: & vt probum decet,
Placa piâ numen prece.
Secunda post hæc cura sic vitâ frui
Nil cogitantem crastini.
Alter Duaci ventilet sophismata,
Interminatis litibus:
Aut syllogismos, aut bicorne athletico
Dilemma neruo torqueat;
Doctóque, cùm recurret octauus dies,
Clamore vocem exerceat.
Alter minorum gentium doctor, ferat
Audomari minus decus.
Tu sis Minister, Rector, & si quid suprà est;
Aut Architectus aut nihil.
Abite libri in rem malam. Mihi in diem
Qui dixerit, Vixi, sapit.

IN INVIDVM.

ODE IX.

QVÆ turpē Erinnys viperis horrens comam?
Quis dirus afflauit furor?
Quæ te obligatum Thessalis venefica
Medea sacris detinet?
Atque in sigillo cereo absentis iecur
Lentis adurit ignibus,
Et efficaci carmine ac crudeliter
Te tabe lentâ decoquit?
Semper recenti frons dolore nubila,
Dirique mœroris grauis

Obducta

Obducta nimbo cilia diluuiem imbrium
Ortis minantur lacrymis.
Vt cùm imminẽtes humidis pluuias Notis
Suspensa nubes sustinet,
Dubitátque ventis hinc & hinc reflantibus
Quæ rura, quas vrbes premat.
Oculi malignâ luce succensi rubent,
Prænunciántque fulgura.
Cadauerosus pallor ore lurido;
Orcóque concolor insidet,
Ignaua macies, quæ aridas fuligine
Marcente deturpat genas;
Qualésque retulit fabulosa cùm redux
Theseus reliquit Tartara
Iam Dite viso, quem senex naulo sine
Viuis reuexit portitor;
Nouiésque quæ refusa Styx vmbras tenet,
Semel fuit remeabilis.
At deflua coma ceream frontem premit,
A quâ relegatus decens
Oculos serenos exulat risus; nisi
Quem visus alienus dolor,
Aut voto iniquo proximis penatibus
Optata fecerunt mala.
Aut si quem amico melior, irata anteà
Fortuna, vultu respicit:
Si quem superbæ iusta famâ gloriæ
Commendat, & nepotibus
Seris loquendum signat albo calculo;
Qualis Bidermannus fuit,
Corneliúsque clarus, aut Auberius,
Aut Famiani Liuio
Æquale Romæ nomen; aut magno Patri
Menochius non degener.
Guinisiúsque cultus, aut Terentius
Qui pressa Synodi ne fides

Falso

Falſo obruatur curat ; aut Petauius,
Qui luce ſenibus ſæculis
Scaligerianam diſcutit fuliginem.
Et Fronto ſcriptorum arbiter,
Canis iuuentam qui reducit Patribus,
Et reddit amiſſum decus.
Mirata qualem Roma, qualem te tua,
Sirmunde, nouit Gallia.
Et te, Garaſſe, culta quem quondam lyra
Nunc cura maior detinet
Sceleri timendum ; edacibus quantùm eſt lupis
Moloſſus, aut apris Lacon.
Et te Regorde mentis æſtu flammeo
Verbiſque ſcintillantibus,
Qui dura frangis pectora, & rebellibus
Chriſtum inſeris præcordijs
Te Richeome ; tèque nuper aureo
Cottone ſuſceptos polo.
Te Boiyræe, te Binete, te ingenij
Cauſsine & eloquij potens,
Te mentis acre fulmen, ingeniorum apex
Arnulphe, fatale hæreſi
Sceleríque nomen ; ſiue ſani conſilj,
Seu vocis atque animi eſt opus.
Et te, Creſoli, qui ſacrorum reddere
Noſtro laboras ſæculo
Priſcæ colorem ætatis, & primigeniam
Relinere fronti purpuram.
Et ſparſa quotquot ſpectat orbis Gallico
Lucere cœlo ſidera :
Obliuionis luce quos claros ſuâ
Ignaua nunquam nox premet.
Aut ſi quis humili primus obſcurum priùs
E plebe ſuſtulit caput ;
Lucémque cæcis intulit natalibus ;
Et cuius hæres non fuit

Nouum

Nouum suo reliquit hæredi decus.
Si tui capaces Indicis
Sors liberalis opibus impleuit sinus.
Quæsita si cui contigit
Fauore, vel virtute, vel frequentiùs
Vænalis auro dignitas.
Tunc nec tibi mens, nec tuus cõstat color,
Tunc ducta ab imo pectore
Profunda anhelant faucibus suspiria;
Gemitúsque mentis conscij,
In virulentis quod latet præcordijs
Testantur inclusum scelus.
Tibi liuor exta rodit, & præcordia
Vngue inquieto distrahit.
Damnata Tytij qualis immortalibus
Pœnis retundit viscera,
Nouámque semper Vultur inuitans famem
Expectat vt crescat iecur.
At te, quod animo virus occultas dolor
Cogit fateri carnifex.

IN HELLVONEM.

Ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.*

Tertul, contra Psych. cap. vltimo. *Deus tibi venter est, & culina* (alij legunt *pulmo*) *templum. Et aqualiculus altare, & sacerdos coquus, & Spiritus sanctus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia vetus est.*

ODE X.

OBLIVIOSVS tamdiu tui, immmemor
Cœlo petitæ originis,
Quid ore pronus cernuo spectas humum,
Pecudúmque

Pecudúmque viuis moribus,
Natura quas abiecit in paſtum, & cibi
Aluum capacem tradidit ?
Voluptuoſæ immergeris ſapientiæ,
Iuratus Epicurum ſequi.
Sepulta, ſuffocata in omento fides
Profundâ in aluo fluctuat.
Vt efferuntur viua mortuo in mari,
Supernatántque corpora :
Donec ſuperſtes halitus pondus vadis
Mox hauriendum liquerit.
Mentem veterno marcidā, ſomno grauem
Aruina pinguis obruit.
Oblitus ergo quidquid in toto vſpiam eſt
Diuinitatis æthere ;
Ventris, relicto iam Deo, numen colis
Honore Diuis debito,
Tantóque ritè Numini dignam inſtruis
Pompam ſacrorum : Nam tibi
Culina templum eſt vnico ſacrum Deo,
(Adyta hæc prophanis ritibus
Polluere nec fas, nec peregrinis Deis)
Vbi Sacerdotis vices
Vnguine perunctus implet adipali coquus
Auguſtior : Siue eſt opus
Merſiſſe iugulo victimæ cultros ſacros,
Molâque falsâ ſpargere
Et pipere multo & addito hoſtiam mero :
Seu fata in extis quærere ;
Atque inde diuinare quis cœnæ exitus,
Quis ſit futurus prandij.
Rarò litatur bobus, attrita annuo
Qui colla durarunt iugo.
Rarò pecudibus, matribus rarò capris
Faſtidioſo Numini.
Sed ventris aris gratior inermis cadit

Aut

Aut hœdus; aut vitulus tener,
Qui fronte purâ læta iam discit rudi
Tondere dente pascua.
Aut qui remoti littoris piscis vada,
Fluctúsque peregrinos sapit:
Quem fluctuoso dum reciprocat vices
Iactarit Euripus salo;
Atlanticis aut intonata fluctibus
Videre Mauri littora.
Nam quæ natauit præda Santonico mari,
Britannico vel in sinu;
Vilis beatæ victima accedit gulæ,
Dubiâ licet cerebro Iouis,
Mensísque palmâ certet adiicialibus:
Aut Persico apparatui:
Ac Barbarorum dulcior Coluthea, &
Tuceta vincat principum.
Namque erudito iam palato ferculis
Auget saporem raritas
Et delicatis helluonum faucibus
Non esca, sed pretium placet.
Verùm nepoti dum crumenas eruens
Decrescit, & crescit gula;
Breuem coactâ longa parcimoniâ
Luxum fames vlciscitur;
Vastúmque iusto sortis abdomen modo
Loculísque metiri docet;
Certóque ventrem fine circumscribere
Immanè tensum, & plùs satis
Modico tumentem terminare cingulo.
Sed hostias quoque alites
Aër ministrat pinguibus Dei focis
Arísque Pontificalibus:
Quibus epulones, & quibus præsunt popæ,
Nitidáque laniones cute.
Addicta sacris nec deest secelpita,
Comésque

Comesque mensæ sympulum
Nam mensa ventri est ara, quâ thuris vice
Nidor culinæ fumigat:
Hæc est acerra flore messis Indicæ, &
Aurâ Sabeâ suauior.
Risus proterui sunt preces, & multiplex
Charisma sunt embammata.
At vinolenti qui frequenter intimo
Ructus trahuntur pectore,
Certa pietatis signa sunt suspiria,
Mentísque iam plenæ Deo.
Fartísque tandêm faucibus reciprocans
Vomitus prophetia est vetus.
O execranda sacra! ô infamem Deum!
Sed quem tot, heu miseri! colunt.
Quos quo merentur finis interitu premet;
Quorúmque iam versâ vice
Mutabitur confusione gloria:
Namque esca ventri, & venter est
Escæ; ast vtrumque destruet vindex Deus:
Vltórque læsi Numinis
Iniuriosam ventris indulgentiam
Rependet æternâ fame.

IN PVBLICÆ FELICITATIS Osorem.

ODE XI.

DVM simplice ora ciuium risu natant,
Tribúsque iuncta gratijs
Lætitia festos per vias agit choros:
Pacíque amica copia
Capace cornu fundit immensas opes
Et sparsione diuite
Felicitatis Gallicanæ auctaria

Effundit

Effundit auidos in sinus.
Diúque duratura placidis Franciam
Amplectitur pennis quies.
Nam victa iusto subdidit frontem iugo, &
Frænos momordit hæresis:
Matrémque sæuam quæ secuta proximis
Rebellio vestigijs,
Mox exul Afro littori iunget ratem;
Quæ Galliæ piaculum,
Et bella secum, & scelera, pestémq; efferet,
Solásque arenas incolet.
Quid læta fingis ora? quid fronti illinis
Falsi colorem gaudij?
Simulatione maior, impatiens tegi
Se prodit in vultu dolor.
Quis te inquieta mente lymphatâ furor
Rotare cogit lumina?
Iniussa mœstis faucibus suspiria,
Et spontè gemitus euolant.
Diráque luctus inquinas imagine
Felicitatem publicam.
Agnosco tectam liuido pestem sinu;
Agnosco: pectus saucium,
Atrox canino inuidia rictu lancinat.
Viui cruoris ebria
Adhuc hirudo sanguinem sitit; vorax
Sugit medullas intimas.
Ingrata qualis impio dente hospitam
Teredo quercum deterit.
Aut quale Rhodopes toxicum lectum iugo
Aut Caucasi radicibus,
Iam non amoris poculum, sed funeris
Atrox nouerca miscuit:
Spumámq; Lunæ, & virus herbarum, & sua
Magis timenda his omnibus
Confudit odia, Thessalóque carmine

Vires

Vires venenis addidit.
Venis receptum virus accendit iecur,
Et iussa torquet viscera,
Grassatur intus: quale ab Ætnæo specu
Liquata fumant sulphura.
Abominande liuor, ignauo sinu
Digne inquiline & carnifex
Contaminatá mente: quid tibi imprecor
An vt Seryphi littore,
Gyaræve scopulis clausus alieno solo
Inhumatus exul occidas?
An Adriano vt ponte coruos impiâ,
Et Vultures iuues dape?
An vt Libyssam remige augeas ratem
Longis saginandus malis,
Cutémque Mauris vstulandus solibus?
Informi an vt nodo reus
Infame ab altâ pendeas onus cruce?
Aut victima cadas vindici
Deuota auerno? peius his aliquod malū est
Quòd execrabili imprecer.
Idem vt tui sis tortor, idem sis reus;
Nouúmque supplicî genus,
Vt crimine ipso criminis pœnas luas,
Scelerísque pœna sit scelus.
Melioribus te vt semper inuideas, mihi
Vt semper inuideas precor:
Nec desit vnquam, quod mihi inuideas; tibi
Dignum sit inuidiâ nihil;
Inuulneratum dente liuoris tua
Præstent vt infortunia.
Sic, spero, tandem aliena te felicitas,
Liuórque disrumpet tuus.
Qualis parentis viperæ soboles latus,
Et acerba rodit viscera,
Et parricida dente fœtus impio

Prægnantis aluum lancinat,
Cæſúmque patrem matre cæſâ vlciſcitur,
Et ſcelere compenſat ſcelus:
Sed mox futura mater, à prole impiâ,
Quas fecit, expectat vices.

AD BEATAM BARBARAM, VT FVLMEN AVERTAT.

Scripta Polonorum nomine.

ODE XII.

QVICVNQVE pectus conſcium fraudis [gerit;
Sollicitúmq; nefas,
Clauſóque cælat hoſpitem culpam ſinu:
Quem ſcelus attonitum
Cæcam obſtinatus vltor in pœnam vocat.
Ancipitémque animum
Maior Megæra verbere occulto quatit.
Nec faciles oculos
Nocturna ſaltem mitior mulcet quies,
Cùm ſcelerum facies
Crinem implicatæ viperis minacibus,
Et Stygias oculis
Euentilantes igneâ tædas manu,
Sollicitas agitant
Terréntque tenebras; & reuerſurum diem
Somnia dira vocant.
Refértque nox ingrata, quod vidit dies
Teſtis, & aura nefas.
Ille vt maligno conditum nimbo iubar
Viderit, & trepidis
Ignem frementem nubibus claudi arduo
Audierit ſtrepitu,
Terras minaci Numen iratum ſono
Dum quatit, & pauidas

Exterret

Exterret vrbes vindici flammâ igneo
Vltor ab axe Deus.
Tunc obligatum culmini occulto caput
Igne peti trepidat;
Noctémque quoties igneus rumpit fragor,
Flammáve dira volat;
Ad prima pallet fulmina, & meriti arbiter
Ipse sui pauitat.
Cæli tumultu haud innocentes ilices
Alpibus attonitis;
Sed destinari, qui meretur, se putat
Vindicibus iaculis,
Fumantibúsque se recepturum æstimat
Ignea tela comis,
Quin & solutos crimine ac scelerum integros
Fulminis aura mouet,
Fuscóque dirum murmur auditum polo
Pectoribus timidis
Mentem inquietam turbat, & pauidâ pios
Gignit in aure metus.
At tu beato, Diua, quæ nimbos gradu, &
Nubila crassa premis;
Vanósque tonitrus tuta luctari horridâ,
Barbara, nube vides.
Auerte longè à Sarmatis cæli minas:
Sollicitúmque diem
Si quando magico Colchis abrumpet sono,
Diua, rogata refer.
Quòd si merentes vltor irati quatit
Numinis igne Pater:
Plectatur, & si est innocens, nostrâ vicem
Caucasus aut Rhodope.
Aut si cruore fulmen extingui placet,
Sulphureásque faces;
Totâ scelestos Tartaros vindex preme,
Threiciámque manu.

IN SENEM AVARVM.

ODE XIII.

TV magè sollicitus quàm nidi mater hi-
Ieiuna quæ pleno licet [rundo,
Ore gerit pullis dulcē expectātibus escam,
Auro atque immunis incubas.
Gryphes hyperboream quales dicuntur ad
Saltúsque soli imperuios, [Arcton,
Congesto cura sterili inuigilare metallo,
Inutilíque laminæ,
Et quā non possunt nido substernere, nido,
Pullísque ferre hiantibus.
Verùm age, congere opes alieno sanguine
Et fortè spargendas tuo : [turpes,
Hæres dum melior patruo succedat auaro,
Manúque fortis prodigâ
Damnatum tenebris in lucem proferat au-
Atque innocentes impio [rum,
Vindex diuitias vetet inferuire tyranno.
Et Herculis laboribus
Haud multò inferius det vatibus argumen-
Hortis vt olim Atlanticis [tum ;
Famosâ Hesperidū rapuit mala aurea dex-
Auróque leuiorem arborem [trâ,
Permisit vacuos in cœlū attollere ramos.
Hic carceri pecuniam
Eximet obscuro, meliore vt splendeat vsu
Post otium argentum vetus.
Nocturno ille madēs inter conuiuia vino,
Iam grandiora pocula
Nestoreis gaudens redituro ostendere soli,
Iámque ebrijs sodalibus
Sicci fortè senis manes ridebit auaros,
Talésque

Taléſque concipiet preces,
Vix malè ſecurâ calicē auſus tollere dex-
Sic, ô ſodales, ſic, precor, [trâ.
Intereat quicunq; animo ſe torquet auaro,
Geniúmque partis impiè
Defraudat. Non ille ego ſum, qui demere
Non audeā partem integro. [aceruo
Vt meus inde nepos crinē conſperſus amo-
Syráque nardo perlitus. [mo,
Ingenioſa mero & dapibus faſtigia vincat,
Dum ſiccus areſco cinis
Vt chari mihi ſint omnes; at nemo meorū
Mihi me ſit ipſo charior.
Nec mihi ſit curæ quantùm centeſima red-
Non incruento fœnore: [dat
Ægro quæ iecori inſerta eſt, fibráſq; nocen-
Vngue inquieto lancinat. [tes
Gaudebo partis: nec me vicinus iniquis
Durum calendis ſentiet.
Sic ait, & paterâ ſe proluit ille capaci;
Tollique menſas imperat.

AD SCIPIONEM GARIBERTVM, Theologiæ candidatum.

ODE XIV.

SCIPIO, quē vetito melior ſapientia
Admiſit atq; audacibus [cœlo,
Alitis ingenij pennis mens ardua nubes
Ac ſidera vltra ſuſtulit.
Nam quæcunq; Deus mortales fallere cu-
Et curioſa lumina [ras,
Decreuit, ſpectanda tibi myſteria nocte
Permiſit altâ condita.
Æternum iubar & ſuperis imperuia viſum

Impune spectantis dies
Non flexit, similísq; paternæ mētis imago;
Tantíque amoris arbiter,
Et quem fœcundæ felix concordia flammæ
Ferace spirat pectore.
Ausus es intrepido ferri super æthera nisu,
Atque igne puro spiritus
Alatos per inane sequi. Nec te Icarus au-
Cognominíque terruit [dax,
Vnda memor casus pelago, ne credulus au-
Artíque cœlum inuaderes [ris
Et tibi Virgineos cœli interioris in aulâ
Spectare Diuarum choros
Concessum est, vultúsque pares, atque ora
Formosiora solibus [serenis
Clarior alma fides solito, geminæq; soro-
Et adulta cœlo gratia [res,
Humanis spectandam oculis cùm se ore re-
Nudáque fronte præbuit. [tecto
Quæque minùs rarò mortales visere cætus
Dignata pœnitentia:
Quā gemitus circùm, & lacrymę comitātur
Mœroris alti consciæ: [euntem
Et luctus pullati, ac mœsti pectoris hospes
Et criminum vindex dolor.
Spectasti æternū cœlo descendere Numen
Pudicæ in aluum Virginis,
Humanósque artus diuini abscondere solis
Nimbo graui purum iubar:
Qui mox se vachi passus sub imagine panis
Meríque simulacro tegi.
Macte animo, & mentis generosæ audace
Qui te supremis hospitem [volatu
Inserit astrorū ordinibus, puróq; receptū
Errare permittit polo. [mento,
Sed tamen humanæ sortis, Gariberte, me-
Alísque

Alíſque prudens tempera.
Nec tentet vacuas animoſa audacia nubes,
Latóque parcat aëri.
Sæpe Deus tonitru iracundo & vindice [flãma
Mentes ſuperbas perculit:
Et Maieſtatis tantæ ſcrutator, iniquâ
Oppreſſus eſt à gloriâ.
Aſſuetóſq; oculos tenebris,lucíq; malignæ
Recepta cæcauit dies.
Ex humili caſus minor eſt, leuiórq; ruïna;
At quiſquis altior ſtetit,
Formidet,caueátq; impulſus ab ęthere ter- [ram
Grauiore ne lapſu premat.

AD S. IGNATIVM.

ODE XV.

IGNATI,pernox qui quondam & perdius
Spectabas,atq; æthera vultu (aſtra
Irriguo humectíſq; genis,animúmq;ſequa-
Luminibus comitẽ ire iubebas: (cẽ
Nunc cœlo oppoſitus pernox & perdius orbem
Nunc miſeras bonus aſpice terras.
Formoſóque nitens ridentis ſideris auro
Borbonijs ſua lilia ſerua;
Et Regum inſcriptos Francorum nomina flores
Æthereâ implue nectaris vndâ
Sic radijs vincat melioribus aſtra minora
Heſperiæ noua flamma coronæ
Seu clarus roſeo procedas Lucifer ore,
Seu rutilo nouus Heſperus aſtro.

AD DVRANDVM ÆGROTANTEM.

ODE XVI.

IRACVNDA furit væſani flamma leonis
Accenſa Iulî ſolibus ;
Sideribúſque minax auido iuba fulgurat
Flammáſque latranti cani. [aſtro;
Iniicit æſtiuos Auguſtis ignibus vngues,
Tonitrúque rugit flammeo.
Romanos, agedum, ſoles, æſtúmq; nocen-
Coctis parùm vaporibus [tem
Defendas capiti, Durande, mihi pretioſo,
Dum virginali mitior
Proferat Erigone lucentem ſidere ſpicam:
Iuſtámque ſemiſſem improbo
Delibra ſtudio. Medico ſic pollice vena
Tangetur infrequentior:
Nam lædi faciles artus, & mollia membra
Natura mortali dedit.
Nec chalybem nerui ſapiunt, nec marmora
Solido nec ære caro riget. [fibræ,
Quod valeam, Hippocrati nil debeo, debeo
Somno bonæque inertiæ [totum
(Quæ mox, heu! vereor, faciat diuortia
Aut det libellum repudij) [mecum,
Nec minùs intereà credor ſtudioſus, Aqui-
Et decolor fuligine. [ni
Sic ſuadet macies, dubiæque crepuſcula
Vultúſq; Ibero concolor; [frontis,
Quem pulcher ridere ſoles, nigróq; colo-
Iconinie Rufe, maſculum. [rem
At te pallentem morbo & ſtudijs irridet,
Et iure Durandus niger.

Credo

Credo alijs (quanquã in studiũ minus acer
Et sũ & magis spero fore) [iacérsq;
Credo tamen cùm me faciant aliena bea-
Et doctulum mendacia. [tum,

AD

HERCVLEM GARIBERTVM,
Iurisconsultum.

ODE XVII.

VLTIMA cælestûm quæ quondam inuita
Astræa mortales domos, [reliquit
Cùm se alis paribus, sceleratas linquere
Coacta, cœlo condidit: [terras
Stellarum accessit numero, noctémq; su-
Auxit decoro sidere. [perbam
Auratásque polo gaudẽs deponere lances,
Quà parte iustâ deserit
Augusti vacuum spatium iuba clara leonis
Aureis adusta solibus:
Atq; venenato flagrat quà Scorpius astro,
Caudáque sideribus minax
Exerit accensas infausto lumine chelas,
Pigrámque noctem protrahit.
Irato Diua inde nocentes sidere terras,
Et scelera terrarum, & dolos
Fraudibus implexos spectat, gladiúmque
Flãmante dextrâ fulgurat. [minacẽ
At tandem, bona Diua, redi; scelerúmque
Oblita, cœlo deuolans [priorum
Iam nostras inuise plagas, & subdita iustis
Moderare regna legibus.
Fas redeat simul, & pietas, & iura, pudórq;
Metuénsque culpari fides.
Arcani cui Diua, frequens mysteria iuris,
Et

Et ducta cœlo oracula
Monstrasti legum, ille tuus te, Diua pudicâ
Garibertus inuitat domo;
Solennémque tibi meditatur ducere pom-
Lauróque religatus comam [pam
Sistere Iustitiæ templo se sponte, piúmq;
Voto obligaturus caput,
Æternum antistes tibi dicere sacramentum
Quod nulla mendacî dies
Arguat; vt sacræ Themidos penetralia ritè
Castus sacerdos incolat.

AD DECIVM STRIVERIVM.

ODE XVIII.

PARVM otiosæ dissidet socordiæ
Quieta virtus quæ polo
Prognata vt ignis ætheris nunquam loco
Consistit ignauâ morâ
Sed infatigato ambitu terras obit,
Et fluctuantes insulas,
Quas vasta nostro littori abrumpẽs Thetis
Semouit accessu procul.
Hæc per viarum te, Deci, tractus vagos,
(O nostri Vlysses sæculi)
Autor piorum duxit errorum & comes;
Seu bellicosæ Corsicæ
Steriles arenas, & Ligustici maris
Inhospitam lustras plagam.
Siue æstuosæ patria te Caniculæ
Sardinia longum detinet,
Soles iniquos questa, dum hybernis grauis
Mitescat annus piscibus.
Neque horruisti fabulosa Syrtium
Charybdis aut Scyllæ freta.

Nec

Ne te canora monstra (quæ sono rates
Vultúq; nautas fallere
Assueta quondã ; at ore nunc muto silent)
Sirenes ausæ perfido
Tentare cantu : nunc sub alto gurgite
Tandem modestæ se tegunt.
Vidisti & Ætnam , quæ reluctantem arduo
Titana condit sub iugo ,
Vastámque totâ mole ceruicem premit:
Vrget Pelorus dexteram ,
Læuam Pachynus, crura Lilybæo latent:
Vltrà sed extremi pedes
Exporriguntur inter vndas , nec capax
Monstri sepulcrum est insula.
At ille quando motat attritum latus
Trinacria omnis intremit ;
Mons quando cœlo cõtumax denso halitu
Astris remittit fulmina.
Te Roma vidit , te Ligustici maris
Vrbs Domina ; te duri Insubres ,
Portúsque delicata cepit hospito
Regina Tyrrheni maris.
Sic inquietis siderum plagas rotis
Sol lustrat , vt raptum diem
Mundo reportet : Vita nam motus , pigra
Solis quies mors orbis est.
Etiámne mundi terminum, Rhodopes iuga
Et Caucasi intactas niues
Calcare nil vereris audaci pede ?
Et curribus temerarijs
Tanain niualem stringere , ac cæco alueo
Subterfluentem Vistulam ?
Hæc cùm iuuentæ flore transierint licet:
At nunc, senectus dum iubet ,
Nunc quando bisseptena frõtem Olympias
Ætásque deterior grauat.

Fessam quietâ sede canitiem sine
Foueat Spoletum. Hîc impiger
Laborioso consenescas otio.
Hîc, quâ facilibus Sarmatis
Leges tulisti dexterâ, rastrum preme:
Feliciores surculos,
Seuerâ inertes falce ramos amputans,
Sciens, agrestis insere.
Nos læta iuuenum turba te doctum senem
Cingemus (vt viridi choro
Stirpem vetustam ambire pubescentium
Nouellæ oliuarum solent.)
Auidâ bibemus aure quidquid dixeris;
Seu mente vitia euellere,
Seu fortè castigare luxùriam iubes,
Inutilésque palmites
Exuberantis vineæ. Seu sarculo
Rostróque pœnitentiæ
Domare terram corporis, quæ sentium
Et carduorum fertilis,
Vix lacrymis rigata, vix cœli imbribus,
Ac sole amici Numinis
Confota semen creditum infido solo
Deo reposcenti refert.
Hæc sit viarum meta longarum: vltima,
Deci, hæc sit errorum quies.
Superũ tibi mare, tibi inferũ torrens erit,
Siticuloso qui alueo
Ambit Spoletum, æstate quem tuto solent
Transire formicæ vado.
Tibi Ætna, Rhodope, Caucasus deinceps [erit
Virente luco mons sacer,
Qui propior astris surgit, & sacros iugi
Cœlo inquilinos admouet.
Ibi sacra Zephyris turba leni murmure,
Motísque frondibus obstrepet:

At ego per Alpes longè respiciens retrò,
Longè Spoleto distrahar.
Sed (astra testor) suauium sodalium, &
Tui, Deci, nusquam immemor

AD IACOBVM COTHARELLVM,

ODE XIX.

QVID obstinato pertinax silentio
Iacobe vocem contines?
Quando exarata pollice ignauo manum
Implebit ingens littera?
Nunquid sigillum, nunquid agnoscã notas
Animi fideles nuntias?
An consulendum nomen adscriptum priùs
Ceris in extremis erit?
Parcísne chartæ? an tẽpori? pretiũ sciens
Volucribus horis ponere;
Quæ mox abierint, non solent retrogredi,
Licet reflectens Cynthia
Obliqua cursus, ire festinos citâ
Menses reportet orbitâ.
Tu delicatas Pictonum voce aureâ
Facnndus aures detines:
Seu fulmina moues Numine irato minax;
Seu polliceris æthera
Spondente cœlo vera cùm cœtus frequens
Mittit polo suspiria.
Hunc quære plausum, solus vt plãctus tuæ
Sit testis eloquentiæ.
Verum dolorem humentibus disertiùs
Oculis loquantur lacrymæ.
Nã quid iteratus plausus, aut quid te iuuet
Belle, Euge, docte? Si leues
Cœlo improbata verba differant Noti,
Nec

Nec missa ab alto pectore
Vox curiosis blandiatur auribus
Vacuóque ludat aëre.
Nos indisertos sacra Spoleti annuo
Premet quies silentio.
Ni fortè syluis atque surdis montibus
Nec verba senseris loquar.
Magis silebo ; & corde aperto, quid Deus
In me loquatur , audiam.
Felix ! loquente si Deo, arcani leues
Venas susurri sensero !

AD FAMIANVM STRADAM.

SCAZON I.

OBLIVIOSI Strada temporis vindex,
Latina Siren , Liuiúsq; Romanus ;
Qui sæculorum non sinis vetustate
Ignauâ , & annis interire virtutem
Farnesianæ decora gentis æternis
Mandare curas posteris renarranda.
Nunc vecte multo, si sapis, fores claude:
Namq; agminatim carmina ire contēdunt,
Tibi vt loquaces gracculi improbo more
Aures capútque continenter obtundant,
Silere pariter nescij & loqui. Claude
Fores, fenestras, quà patet aditus, claude.
Quòd si penates impudentes irrumpant,
Suadæ cubile, Apollinísque Musæum,
Penetrale Pithus, elegantiarúmque,
Larariúmque gratiæ , & venustatum :
Si se furore non Poëtico tantùm ,
Sed Gallico etiam,more patrio obtrudant.
Hos iunge Cygnis , qui tibi canunt intus ;
Diutiúsq; quàm decet canunt intus ;

Ion

Longo immerentes quos ſilentio celas
Poſtquam vnus omniũ æmulus Poëtarum
Felice temeritatis improbæ niſu
Tot prouocaſti plectra, tótque viciſti:
Plauſus theatro cùm tibi datus totò
Romæ fauentis, approbantis Europæ.
Sic (ſi qua ſpes eſt reliqua) peſsimi verſus
Silere pariter neſcij & loqui, forſan
Ab optimis ſilere vel loqui diſcent.

AD CALVINIANOS MINISTROS.

SCAZON II.

LVGETE Francis quidquid eſt Miniſtrorum,
Clauſtrorum amurca, transfugæ cucullorum,
Exauguratorum genus ſacerdotum,
Hypocritarum ſpuma cœnobitarum;
Quos ab quietis ſedibus, domo frugi
Malè execratos prima vota, votorum
Genus nouorum, charitas maritalis,
Et æſtuantis Veneris ardor eiecit;
Aut ambitus profanus, aut fames auri
Quam damnat arctâ lege dura paupertas.
Lugete Francis quicquid eſt Miniſtrorum,
Lugete rurſum quicquid eſt Miniſtrarum,
Generiſq; ſacri traduces Miniſtelli
Et poſterorum fertilis ſeges nati.
Lugete Synodus erudita Cerdonum,
Et Pellionum curia, & Cinifionum,
Collegiſmque pinguium Laniſtarum,
Lanariorum turba, turba Mangonum,
Aptúmque ſacris vulgus Hortulanorum.
Lugete, auorum more quiſquis abiecto es

Caluinianis legibus reformatus,
Nouo, recenti more, nupero ritu
Comptus, politus, pumicatus, ornatus,
Sculponeatus, atque leucophæatus.
Qui sæculorum Ecclesiam vetustate,
Rugísque frontem anilibus, caput canis
Sparsam, exaratam, edentulam, tatam, mammam,
Hecubam, atque Pyrrham, illásque si quid est vltrà,
Helenâ Lemanâ, T y ndari Geneuensi,
Pusâ, puellâ, adulteráque mutasti:
Cui prostat in ore seplasia illecebrarum,
In fronte Veneres, & lupanar in vultu.
Lugete caluo plebs, dicata Caluino:
Lugete quicquid gentis est reformatæ.
Deserta claro templa mugiant planctu,
Synagoga cadat tota, barriat cœlum:
Suspiriorum turba ventilet nubes,
Et Africis Aquilonibúsque contendat
Gemitibus altis excitata tempestas;
Cucurbitísque lacrymæ pares mœstas
Torrente latè proluant genas imbre.
Rupella (at hæret lingua, vox fugit, sensus
Animúsq; titubant, & loqui vetat mœror)
Ruppella cecidit: Anglicæ rates pontum
Remetiuntur, & fremente Neptuno
Pigros citatis adiuuant Notos remis.
In LVDOICI verba Gabali iurant;
Pacem Cebennæ, Castra, Fuxij pacem,
Nemausíique supplices petunt pacem.
Et contumace rebellione damnatos
Bellóque muros, aggerésque, turrésque
Tarnis proteruus, monsq; tradit Albanus,
Pronúsque adorat Regis ora victoris.
Geneua ritus iam resumit antiquos,

Et

Et iam repurgat impios lacus, & mox
Proſcripta toto cedet hæreſis regno.
Poſt hac ſilebunt improbante Parnaſſo
Maroticarum metra cantilenarum;
Armenta rudent parciùs reformata.
Ritus auorum, & nota Patribus Gallis
Eruderatis ſacra rurſus in templis
Fumo Sabæo nubilas colent aras,
Noſtros reuiſet Cantabros fides exul,
Simúlque pietas, fas, pudor, reuertentur.
At exulabunt iam ſuam vicem, bellum,
Perfidia, perduellio, nefas, crimen;
Hiſque omnibus ſceleſtior Miniſtrorum,
Famelicorum heu! natio Miniſtrorum
Vertet fidem meliore, vel ſolum vertet.
Et interibunt ſtirpitus Miniſtelli,
Fœcunda culpæ ſecla, Viperæ nidus,
Semen Aconiti, oua Aſpidum, atque Crabronum.
Bonóque victima publico cadet proles
Probro parentum iam perire damnata.
Quicquid Miniſtrorum vſpiam & Miniſtrarum eſt,
Et quicquid vſquã eſt ſeminis Miniſtralis:
Maléque ominata verba, & inter obſcœna
Exinde lege publicâ reponendum
Solus Miniſtri carnifex geret nomen.
Lugete plebis quicquid eſt reformatæ
Lugete Francis quicquid eſt Miniſtrorum.

AD IOANNEM BESSONVM.

SCAZON III.

CENSOR mearũ non ſeuere nugarum,
Qui me obligatum ſanctioribus ſacris

Dictóque iustis legibus sacramento,
Cogis relictos rursus ire per lucos;
Musásque rursum transfugam iubes versu,
Sed quem suum esse pernegent, salutare:
Et fascinatum laude pellicis vanâ
Iniuriosâ humanitate morosus,
Fallis volentem, decipísque prudentem.
Impunè tantùm ferre te scelus credas?
Non sic (Poëtæ iuro quidquid est bilis,
Quidquid furoris non poëtici tantùm,
Sed & rogati quem lares pij auertunt)
Non sic abibit, arte te nouâ vlciscar;
Longû malúmq; mitto, quod legas carmen
Suffenianis inficetius gerris,
Et oscitationibus senis Bruti,
Et quod Catulli calculo relegari
Ad insularum tesqua Fæcutinarum
Tamusianos posſit inter annales,
Volusiue libris assuatur appendix.
Vt cùm legendo lumina & caput lassum
Probè dolebunt, tædiosus exclames
O pestilentis carminis malam mercem!
Cumque excreando, tusſiendo purgare
Haustum venenum lectione non posſis,
Cogaris acre deuorare veratrum:
Aut febribus poëticis laborare
Ad vsque nonas æstuantis Augusti,
Abominandi quod puto genus morbi
Nullâ Galeni potione curandum.
Malóque doctus vera sic loqui discas;
Nigrúmque verax dextra Theta præfigat
Malis malorum versibus Poëtarum;
Censor mearum tunc seuere nugarum.
Quanquam nihil opus Thracijs notis vti
Vt litteratos vernulas meos reddas,
Nouúmq; scribere carmen in palimpsesto
Cùm

Cùm ſpongiæ ſint hic vel aſſe vænales.

AD IOANNEM BIDERMANNVM.

SCAZON IV.

OBLIVIOSA digna nocte cælari,
Silentióque amica inertiæ proles
Lucem expaueſcunt carmina & diē purum,
Quæ turpi abortu mens acerba profudit,
Manu ſiniſtrâ Cynthia obſtetricante.
Damnata ſcombros aut inutiles menas
Tunicâ moleſtâ me iubente veſtire:
Mentem nouercā transfugæ & mali patris,
Malíque notam deſerunt domum vatis.
Et contumaces legibus refragari
Siſti recuſant horrido tribunali,
Vbi expeditos iam ſibi vident faſces,
Et funerâ fumare luce ſarmenta:
Aſſariorum qui vicariâ ſorte
Luſtrare noctes impio igne formidant.
Ergo exulātes ſpontè dum fugam captant,
Sine hoſpitali teſſerâ, malo more
Apollinares improbi lares tendunt,
Felice lauro quos vident coronatos.
At tu ſeueras (ſi ſapis) fores claude,
Ne Muſicorum non probante Parnaſſo
Turbent olorum carmen anſeres rauci.
Quod ni cauebis, inquietus amiſſos
Deſiderabis plus trinoctio ſomnos.
Licet papauer deuores ſoporoſum,
Licet Opij, Philoniſque Roman i
Iam pallidâ appetente noctis Aurorâ
Malè ſobrie helluator vncias ſeptem
Cribaſianæ mercis inſtitor, ſumas:
Et vana ſurdo vota Morpheo fundas.

Sin vis silere nescios loqui, euelle
Prorsus malã, quâ vtuntur vnicâ, linguam.
Tuisque Cygnis inde (nam carent illâ,
Epigrãma gaudet quâ bonũ, malâ linguâ)
Aliquo vt Poëta sit bonus malo insignis.
Sic inter albos Æthiops niger vultus
Si stet, propinquas turpior niues auget.
Sic pulchra næuo signat ora formoso
Labes honesta, & ornat ipse defectus:
Intérque nimbos pulcriùs nitens, cornu
Clarum decoro luna monstrat argento:

AD MODESTAM IVVENTVTEM.

SCAZON V.

INIVRIOSÆ transfugæ voluptatis,
(Si quem iuuentæ fortè feruor abduxit,
Et flexuosæ cæcus error ætatis)
Rursus iterato ritè qui sacramento
Sanctè in pudoris verba spontè iurastis.
Albæ secuti casta signa virtutis.
Parùm modestis quos proteruiæ curis
Exemit audax castitas, & obiecto
Muniuit ære pectus; illecebrarum
Telóque vulnerique ne locum pandat.
Et vos pudicæ flosculi iuuentutis,
Cœli vniones, clara siderum pubes,
Monile gratiarum, & astra terrarum,
Carbunculorũ flamma, luxq; gemmarum,
Spei bonæ thesaurus, Angeli implumes,
Et delicatæ intacta lilia ætatis.
Queîs nec proteruâ voce blandiẽs aures,
Rudémque mentem mollis imbuit Siren,
Aut impudicis cantibus resignauit:
Nec pestilenti anhelitu mephitique

Castum

Castum voluptas lena pectus afflauit.
Adeste, vestras hic liber manus quærit;
Sinúque condi gaudet, at sinu casto,
Sinu pudico, candidóque, puróque.
At tu proterui qui Cupidinis tædas,
Libidinúmque quæris in Lupanari
Prostare iussas carmine improbo Musas;
Exesto longè longiùs; tibi nulla
Amoris hîc fax ardet igne damnato:
Qualique quõdam flammeo pluens nimbo
Gentem nefandã iratus opprimens æther,
Vrbes scelestâ vastitate signauit.
Ni lex tuo Cypri myrothecio promptum
Purum colorat carmen, atque cerussat.
Et, ne quid impudens Venus suũ agnoscat,
Nil charta venerum, nil habet venustatum.

FINIS.



ERRATA.

PAg.11.in epiſtola v. 7. grati ſenſu - grat. animi ſenſu. pag.13.in ode liminari,v.9. ſemper , lege ſemel. pag. 14. Ibidem. v.3. ore,lege ora. p.17. epiſtola ad Lectorem, v. pen. aliquam - aliquem. in odis p. 1. v. 20. autem - aurem. p.6.v.8. mitte-mite. p. 6. verſ. 33. additi - additus. pag. 7. v. 20. Ludoice-Lodoice. p.9. v.vlt. Alipides-Alipedes.p.10.v.23.fide-fido. p. 11. v.33. ſocios-ſocio. p.12. v.13. Angeli-Angeri. p.12. v.33. fluuij-fluuij.p.22.v.28.oris-aris. p.33.v.27. puſcat-poſthac. p.34. v.10.concauos-Concanos. p.35.initio,agente-agentem. p.35.v. vlt.ſeu tu-ſeu te.p.38.v.20.duris-duri.p.38. v.28.Sinœ - Sinæ. p.40.v.33.caſti-caſtis.p. 41.v.18.auare-auaro.p.45.v.18.riualem-niualem.p.46.v.3.quis-qui. p.47. v.antepen. ipſi-ipſe.p.48.v.2. indicuque-Indicóque.p. 48.v.19. mediatur-meditatur. p.55.v.14.facta-fata. p.56.v.10. nobili-mobili. p.56.v 18.tinxiſti-tinxſti. p.57.v.22.fortem-fortē. p.58.v.31. ſuperuolans-ſuperuolat. p.59.v. 31.Biſtonias Biſtoniâ. p.62. v.pen.premũt-fremunt.p.65.v.24.quiſque-quique.p.67.v. 17.Gatti in-Gattini. p.68. v.1. iura-rura.p. 72.v.8.Vectaſq;-Vectoſque. p.73.v.15.mortis-motis. p.79.v.10. capacem-rapacem.p. 81.v.13.qui-quæ.p.84.v.28.deſpicias-deſpiciens.p.87.v.vlt. habet pennas-pennas habet. p.88.v.1.ne det &-ni debet. p.88.v.25. quod-quid. p.89.v.17. feras-ceras. p.88. v. 20.meritis-monitis. p.90.v.19. portu-portus. p.91.v.25.ſollicitas-ſollicito. p.92.v.7. nollente-nolēte. p.93.v.15.odarum-odorũ.

p.93.v.22.Iacæ-Saca. p.94.v.23. facrum-ſacram. p.98.v.2.cedes-cedis. p.100.v.12. foris-focis. p.101.v.24. Rhodopæ Rhodopes. p.102.v.24. ſubeunte-ſubcute. p.112.v.9.tenaci-tenêri.p.114.v.5.clarius-clarus. p.116.v.15.capiat-ſapiat. p.117 v.24.lõga fuga-fuga longa.p.117.v.vlt.luſtrat latrat. p.120.v.7.donat-donas. p.120 v.17.ſanctitatis-ſanctitas.p.120.v.pen.cautus-catus p.123.v.6. Aut impacta manu Caſſaricâtus Securis capiti.-Aut impacta ſecuris capiti tuo Dextra Caſſarica. p.130.v.10. arquires-arquites.p.133.v.26.lucida-lurida. p.134. v.pen. oliuæ-oliui. p.136.v.8.feros-ſeros.p.137.v.9.vitæ-vita. p.138.v.16. pertulit-perculit. p.139.v.21. deſcendit-deſcendit hiatu. p. 139. v.25. aut-at. p 141.v.2.intuentium-intuentum.p.145. v.10. contingant-contingent. p.147.v.25.fluxuoſis-flexuoſis. p.149. v.9. auos numeras-auos qui numeras.p.151.v.3.hac-hęc. p.151.v.20.Iano-Lano.p.154.v.4.vaſtoſque-vltoſque.p.158.v.1.eurino-curuo. p.158.v.9. Foriane-Boriane. p.159.v.pen.montes-mõtis.p.162.v.26. fronte-fonte. p.164v.32.petit-petis. p.168.v.5.aſtris-Afris.p.168.v.pe. inſolente - inſolentem. p. 172. v.2. ſi tui-ſi cui.p.173.v.27.falsâ-ſalsâ.p.177.v.8.imprecor-imprecer.p.177.v.21.ſuppliciÿ-ſupplici. p.180.v.4.immunis-numinis.p.180.v.9.poſſunt mdo-poſſunt nudo.p.181.v.10.faſtigia-faſtidia. p.183. v.18. oppoſitus-appoſitus.p.186.v.14. ignis-ignes. p. 187. v.1.ne-nec.p. 187. v.23. ſiderum-ſiderum. p.188. v.18.roſtroque-raſtroque. p.190.v.7. ſenſeris-ſenſuris. p.190.v.16.cadat-rudat. p.195.v.pen. Cribaſianæ-Oribaſianæ. p.195.v.2.Ioan.Iacob.p.197. v.13. ni lex-nil ex.

